H
g f: 20
f. 2.
f f K 25
H. f. 20
fa. 2a.

RR·1·5·

SABAVDORVM
DVCVM PRINCIPVMQ.
HISTORIÆ
GENTILITIÆ
LIBRI DVO,

LAMBERTO VANDER-BVRCHIO,
ad diuam Mariam virginem Vltraiecti
Decano, AVTORE.



Ex Officina Plantiniana,
APVD CHRISTOPHORVM RAPHELENGIVM,
Academiæ Lugduno-Batauæ Typographum.
CIↃ. IↃ. IC.


FERT
FERT
FERT
FERT

SERENISSIMO
PRINCIPI

CAROLO,

SABAVDIÆ, CHABLAISII,

ET AVGVSTÆ DVCI:

Sacri Romani Imperij Principi, vicarioque perpetuo: Marchioni in Italia: Pedemontium Principi: Moriennæ, Tharenteſiæ, Breſſæ, Geneuæ, Baugiaci, & Rotundi Montis Comiti: Vaudi, Gaij, & Foucigniaci Baroni: Niciæ, Vercellarum ac Friburgi Dynaſtæ,

LAMBERTVS VANDER-BVRCHIVS
DEDICAT CONSECRATQVE.

ROMANORVM, Claudij Cæſaris temporibus, iuſtitiam ſapientiamque admiratos Indiæ quoſdam reges, quod pares pondere denarij in captiua eſſent pecunia, cuius diuerſæ imagines a pluribus factos indicarent, & hoc maxime ſollicitatos ad amicitiam, quatuor miſiſſe legatos, Plinius, Princeps ſereniſſime, author eſt: virtu-

tis quippe ea vis eſt, vt quemcumque mortalium in admirationem ſuique amorem mirabiliter rapiat, adeo vt & in eos quoque, qui in aliquo eius genere excelluere, remotiſſimos, fatoue iamdudum functos licet, hic ſeſe exerat affectus: Idem mihi, maiorum tuorum procerum clariſsimorum (quibus ſtirps Auguſta originem dedit) actiones, & res præclare geſtas, propius intuenti vſu (mehercule) venit. Cum enim regnis nullis, nullis rebuſpublicis, nullis principatibus, optime licet conſtitutis (quod cum bona regum principumque reliquorum omnium venia mihi dicere fas ſit) contigiſſe viderem, vt continua, neque, in longis licet temporum interuallis, interrupta vnquam ſerie, a ſui inde exordio optimos ſemper pietatique addictiſsimos haberent principes; quam veſtro huic, fæcundo bonorum principum, & quidem ſoli (vobis enim vnis propria ea

gloria

gloria eſt) in quo nemo fuit, qui non optime modum ſemper fælicitati ſtatuendo, efferentemque ſe cohibendo fortunam, præfuerit, & eſſe quam videri bonus maluerit (de principibus ipſis loquor; qui egregia fama omnes conceſſere: nam in ſecunda ſtirpe, qui corruptis moribus vnus atque alter, inluſtri tamen fortuna egere) vehementer, profecto, ad eorum procerum recordationem exarſi, animoque meo (quando mors odio nunc illos aut gratiæ exemit) præclariora eorum facta, gentiſque ipſius non dubia incertaque, & haut procul fabulis, vt plerorumque, primordia vetuſtatemque literis breuiter, in poſteritatis (quæ ſuum cuique decus rependit) gratiam, mandandi, ingens iniectum fuit deſiderium. Quod ipſum quanquam a Guilelmo Paradino, eloquentiæ ac fidei præclaro in primis, non ſine honore factum ſit; eam tamen hiſtoriam

quoniam Gallico idiomate ſcribere illi viſum fuit, fieri haud poteſt, vt ſcitu digniſſimarum rerum cognitio ad omnes perueniat, quod multos eius ignaros linguæ paſſim reperias. Erunt quoque nonnulla fortaſſis quæ Paradino grauioribus occupato rebus, aut non animaduerſa, aut parua forſitan, & leuia memoratu viſa, quæ ipſa tamen, quanquam ab aliis incelebrata, ad gentis ipſius illuſtrationem non parum contulerint. Neque ſine vſu fuerit introſpicere illa primo aſpectu leuia, ex quis magnarum ſæpe rerum motus oriuntur. Qua in re a me quid præſtitum ſit, iudicabunt quibus hæc qualiacunque noſtra cum illius vigiliis contendere graue non erit: omnium autem optime, tu Princeps ſereniſſime, ad quem propius ea res pertinet. Qui quoniam maioribus tuis in nullo virtutum genere quicquam hactenus concedere recte ſentientium iudicio

videris

videris (adſcitus idcirco a potentiſſimo illo Hiſpaniarum rege Philippo gener) & principem in ea gente locum tenes, familiamque ducis; nemo mihi viſus oportunior, cui laborum meorum has primitias dedicarem conſecraremque. Ad publicam hanc cauſſam acceſſit & priuata. Memineram sereniſſimum atque illuſtriſſimum Sabaudiæ ducem Emanuelem Philibertũ, Celſitudinis tuæ patrem, ſummis maximiſque principibus æmulum (a quo conſilia tibi & exempla capeſſendi egregie imperij) cum Belgio huic cum proregis legatiue præſideret titulo (vtinam diutius moderatiſsimo eius imperio parere datum nobis fuiſſet, tranquillius fortaſſis præclariuſque Belgicæ nunc ſeſe haberent res) egiſſe apud Hiſpaniarum regem Philippum, vti Hadrianum Vander-burchium patrẽ meum, ex vrbe hac (in qua ſenatus Prouinciæ

Vltra-

Vltraiectenſis, Caroli quinti impera-
toris iuſſu, Præſidē egerat) euocatum,
Flandriæ Præſidem, & conſilij ſtatus
(regij illi ſigilli cuſtodia demandata)
renuntiaret ſenatorem, & in eque-
ſtrem relatum ordinem, a latere ſuo
haud abſcedere iuberet. Sed regiam
in Angliam ſequutum maieſtatem,
immatura Londini mors abſtulit. Cæ-
terum eius in ſe atque rempublicam
officiorum haud immemor idem ille
rex, fratrem meum Ioannem Vander-
burchium in nobilium domeſticorum
olim receptum numerum, Parlamen-
ti tandem Belgici (quod Mechliniæ
ſedem habet) & priuati inde ſupremi-
que per Belgium conſilij Præſidem
dicit. In cuius magiſtratus præclara
functione, ante triennium ille, ma-
gnum ſui apud omnis ordinis homi-
nes relinquens deſiderium, Bruxellæ
deceſſit. Accipe itaque ſerena & qua
cætera ſoles omnia fronte, Princeps
illu-

illuſtriſſime (qui vnus nunc e familia ſummum ad faſtigium genita ſuperes) quæ in gentis nominiſque tui gratiam, proximis hiſce menſibus, operum ſeriorum vacui ſcripſimus: & quæ ab authore, familiæ tuæ vniuerſæ obſeruantiſsimo, operi gratia conciliari haud potuit, eam a præclari nominis tui ſplendore illi accedere patiare.

Vale. Vltraiecto ad Batauos calendis Auguſtis anno a partu Virgineo MDXCVIII.

* * AD

AD

BENEVOLVM LECTOREM.

QVANQVAM *Sabaudiæ procerum ſtemmata deſcribere mihi conſtitutum, iſque operis huius mei ſcopus potiſſimum ſit; de Sabaudis tamen Sabaudiaque ſitu pauca prius explananda ſunt, quam initium narrandi faciam. Antiqua & rerum geſtarum gloria illuſtris claraque admodum in Gallia Narbonenſi gens eſt, quam Allobroges ab Allobroge rege veteres dixere. In hac Vienna (ad Rhodanum ſita ciuitas, Delphinatus hodie metropolis) principem olim locum tenuit; nunc Chamberinum, aliis Chamberiacum, vulgo Chamberi; in qua vrbe ſenatorius ordo (Parlamentum vocant) ſedem habere ſolet; ſeu dignitati vrbis id, quod reliquas omnes antecellat, ſeu loci oportunitati datum eſt. Eum populum illique finitimos Salienſes (vetus quoque illa & bello inclita gens, quam Saluſſianos appellant nonnulli) & quicquid eorum ambitu terrarum clauditur, Sabaudiam maiores noſtri dixere. Solum enim cælumque, & ingenia cultuſque hominum, haud multum a Sabaudia differunt. Quin Allobrogum adeo olim celebre fuit nomen, vt Sabaudiam ſubinde vniuerſam, artiſſimo inter vtramque regionem diuortio, eo ipſo (quod etiamnum hodie obtinere videmus) appellatam legere ſit. Cæterum haud procul admodum a Lugdunenſi oppido Sabaudiam oriri, & ad Geneuam vſque Pedemontiumque (quæ ad Alpium, quibus Gallia Sabaudiaque ab Italia ſeparantur, radices, inde ſic dicta, poſita regio) extendi, Delphinatumque finitimum habere, in confeſſo eſt, ſcriptorumque omnium con-*

ſtanti

ſtanti aſſeueratione a Sabatiis vadis populiſque (qui inter Alpes Ptolemeo poſiti, Sabaudiæ plerique omnes nunc parent duci) nomen accepiſſe perhibetur. Præter prædictos autem Allobroges Salienſeſque, agros nunc tenet qui Vocontiorum, Veragrorum (epiſcopo, qui late imperitat, & ius gladij habet, hic paret populus) Caturigum, Centronum, Lepontiorumque (qui Alpibus vicini omnes) fuere quondam. Vocontiis ac monti Cineſio proximum eſt oppidum Ciuario, Biuario aliis, quo initio belli legiones Cæſar traduxit, cuius etiam Plinius nepos in epiſtola quadam meminit, & Viuarienſis hodie appellatur ciuitas. Cæterum maxima quanquam paulatim Sabaudia, plurimarum ditionum (inter quas ducatus Auguſtenſis ſeu Prætorianus, & principatus Pedemontanus) acceſſione, quæ armis partim, partim iure matrimoniorum in Sabaudicam venere familiam, acceperit incrementa; ducis tamen titulum ſibi comites nunquam arrogarunt: ſed vetere contenti, qui auguſtus ſatis viſus, (quod inter imperij Romani comites, qui quatuor antiquitus tantum, Sabaudus etiam cenſeatur) eo abſtinuere; donec tandem Amadeus eius nominis octauus a Sigiſmundo imperatore in concilio Conſtantienſi, in procerum vtriuſque ordinis publico conſeſſu dux fuit renuntiatus. Aër regionis huius (vt
hoc ex incerto quodam addam authore) purus eſt, ſolumque fæ- »
cundum, a ripa præcipue Heluetiorum ſecundum Lemani lacus »
tractum. Terra amæniſſima & fertilis vinum profert genero- »
ſum, Ripalium ſeu Riualium a ripa lacus quod dicitur. Paſcua »
ſunt vberrima ad omne animantium genus enutriendum. Præ- »
ſtat autem terræ huius gleba circa Alpes Graias, quæ ſancti »
Bernardi mons minor appellatur: idque ideo fieri aiunt, quod in »
occaſum vergens ſol, obliquis ſuis radiis eorum montium late- »
ra percutiens, virium plus habeat. Vltra vero eas Alpes, dum »

» *Cineſio monti appropinquatur, nec paſcua nec virentia vlla cer-*
» *nuntur olera, cum perpetua niue tectus is mons, ab albedine*
» *Alpium nomen non immerito ſuſtineat, rupibuſque ac frigore*
» *rigeſcat. Fluuij hunc ducatum rigantes ſunt: Doria, Arbua,*
» *Iſara, Danius, Arar, quem vulgo Sagonam nominant, qui*
» *Rhodano miſcetur, & ipſe ſuis aquis hanc terram humectat.*
» *Montana admodum eſt regio. Præter Claudij montem, & Iu-*
» *raſſum, quos in Antuatibus attollit, Pœninæ Alpes in Vera-*
» *gris in immenſum aſcendunt, nunc S. Bernardi mons maior*
» *dicuntur, & Siluius mons. Sub his in Moriennæ comitatu Al-*
» *pes Cottiæ ſunt, hodie mons Senis Gallice dicitur, id eſt, Cineſius*
» *mons, olim Veſulus dictus & Agnellus collis, petram habens*
» *pertuſam, per quam ex Gallia in Italiam patet iter. Sunt montes*
» *iſti plerumque glabri, adeo vt ne frutices quidem nec arbores*
» *ferant, immenſo algore ob altitudinem rigentes. Cæterum quo-*
niam quæ trans Alpes poſſident principes, & hominum &
oppidorum numero longe antecellunt ſuperantque; Pedemonta-
ni quoque principatus qui a Nicea vrbe (in quam Geneuæ epi-
ſcopus ſedem ſuam tranſtulit) orientem verſus ad Mediolani
ducatus fines ſpectat, deſcriptionem ex Abrahamo Ortelio hic
» *aſſcribere operæ fuerit pretium: Taurinorum regionem Pede-*
» *montium nunc vocamus (inquit) tanquam pedem montium,*
» *quoniam ad radices Alpium eſt, quæ Galliam Sabaudiamque*
» *ab Italia diuidunt. Fines ponemus ab Oriente Padum, à Meri-*
» *die Ligurum Alpes, ab Occidente Galliæ alpes, à Septentrione*
» *Duriam Ripariam. Agros habet amœnis fructiferiſque collibus*
» *plenos, qui frumentum aliaſque fruges, & optima vina cum no-*
» *biliſſimis fructibus producunt. Vrbibus, oppidis, pagis perho-*
» *neſtis nitent. Ducatus Taurinus ſub Longobardis appellabatur,*
» *a quibus in prouinciæ formam, cui dux præerat, redactus eſt.*

Longo-

Longobardorum vero imperio deleto, primum in Italiæ regum »
quos Imperatores Cæſares inſtituere, poteſtatem venit, poſt »
in regulorum diuerſorum, diuque ſæculis vltimis ditionis prin- »
cipum comitum ducumque Sabaudiæ fuit habita, donec anno »
MDXXXVI. *partem eius Franciſcus primus Franciæ rex ce-* »
pit; nunc vero Sabaudiæ duci reſtituta eſt. Metropolis eſt ci- »
uitas Taurinum ad oſtium in Pado Duriæ, quam Ptolemeus, »
Plinius & Tacitus Auguſtam Taurinorum vocant. Priſcis »
temporibus hanc nobilem fuiſſe vrbem, vel hinc intelligere li- »
cet, quod Colonia Romanorum erat. Iacet ad montium radices »
forma quadrata, cum portis quatuor, nobilitate ciuium maxi- »
me clara: ſplendidis etiam ædificiis ornata: inter quæ ſummum »
templum gymnaſium habet omnium diſciplinarum: mirificeque »
rebus omnibus ad vſum vitæ neceſſariis, & vtilibus abundat. »
Agro eſt perbono ac fertili, maxime vero verſus Orientem, & »
Auſtrum, cum vallibus ferri copia fecundis. Taurinum Longo- »
bardorum ſedem fuiſſe Paulus Diaconus perhibet. His vſque »
ad captum bello Caroli magni Deſiderium regem, paruit; dein- »
de autem in Italiæ regum, imperatorum, Montiſferrati mar- »
chionum, & Sabaudiæ regulorum (quibus hodie etiamnum »
paret) poteſtate fuit. Ad Padi fontem verſus Ripellium, & »
Parſana ſunt marmorum nobilium lapidicinæ. Præter vrbes »
inſignes, & magnitudine celebres, quæ ſunt quinque numero, »
oppida continet plus minus quinquaginta munita pulcherrima- »
que; municipia ad hæc ducenta muris propugnaculiſque & »
turribus vallata. Plurimos quoque habet comitatus, marchio- »
natus, baronatus, alioſque multos ſatrapas, omnes duci Sa- »
baudiæ obtemperantes. Hactenus Ortelius. *Archiepiſco-* »
patum regio hæc habet Taurinenſem, cui Salutiarum, & Mon-
tis regalis, vulgo Mondouienſis, epiſcopi ſubſunt. Vercellis

quoque (quæ antiqua, perhoneſta, ac nobilis, rebuſque omnibus diues in Lybicis principatum tenet vrbs) Eporediæque (Salaſſiorum ea, Inurea appellāta aliis, metropolis, inquit Ioannes Antonius Maginus) ſui ſunt epiſcopi; quorum ille Mediolanenſi, Taurinenſi hic parent archipræſuli. Qui plura de Sabaudiæ Pedemontiique ſitu volet cognoſcere, Abrahami Ortelij Theatrum conſulat.

V. CL.

V. CL.

IVSTI LIPSII

AD

AVTHOREM,

de hoc eius opere, Epiſtola.

REVERENDE & nobilis domine, Legi ſerio & lubens ſcriptum tuum de ſtirpe Sabaudorum principum: quod etſi magni operis pars modo, & excerptum, tamen vel ex eo de tota facie & forma operis facile nobis iudicare. Maneo itaque in ſententia, & rem te facturum publice vtilem, ipſis principibus gratam arbitror, ſi in lucem hæc emittis. Sunt quidem liberius, id eſt, verius quædam ſcripta quam pro hoc noſtro æuo. Sed idipſum bonos delectabit, & hiſtoriæ prima lex eſt, quam tu reddis in parte, etſi non inſcribis. Nec enim nuda genealogia eſt, ſed facta & dicta interdum eximia inſeris, quod ego probo: nec me ceperint ſola ſtemmata, & ſine alio fructu familiarum rami. Vale vir Reuerende & nobilis, & fratrem tuum Adrianum V. CL. amanter a me ſaluta. III. Idus Iun.


DOMINE QVIS
SVSTINEBIT

In Nobiliſſimi Viri

LAMBERTI VANDER-BVRCHI

Hiſtoriam Gentilitiam Ducum Sabaudiæ.

DVM *generis ſeriem dat Vander-burchius orbi,*
Atque Sabaudorum fortia facta ducum:
Hiſtorico Herois a manibus, ambigo, vel laus
Manibus Herois maior ab hiſtorico.
Quod ſi non vna, ſi non æqualis ab omni,
Sed laus laudati maior ab ore viri eſt:
Si maius nomen Smyrnæi muſa Poetæ,
Quam tua nobilitas fecit, Achille, tibi:
Gaudete in cœlum propria virtute recepti
Et genere & geſtis inclita turba duces,
Queis magnum generis decus eſt a ſtirpe vetuſti,
Maius ab hiſtorici nobilitate ſui.

IOS. SCAL. IVL. CÆS. F.

In Reuerendi & Nobilis Viri

LAMBERTI VANDERBVRCHI

Genealogiam Sabaudicam.

ALLOBROGVM *longo deductas ordine ſtirpes*
Heroum, vitas, factaque noſſe cupis?
Perlege, mirando quæ Vanderburchus in vnum
Selegit ſtudio, diſtribuitque librum.
Non illum indigenum ſcriptum duntaxat in vſum,
Sed quod trans Alpes ciſque legetur opus.
Scilicet vna tibi hæc reſtabat magne Sabaude,
Gloria, Romana ſi indueretetoga.

Nactus

Nactus es hanc tandem, claraque in veste refulgens
In medio poſthac conſpiciere foro,
Et iam facta legent tua ſera in ſecla nepotes,
Auſonio ſtabit dum decus eloquio.
Tu quoque iam Præſul claris maioribus orte,
Clarior incedes docta per ora virum;
Dignus, tantorum geneſeis dum ſcribis, & actus
Heroum, heroum qui aſſociere choro.

GVILEL. RADALANTIVS.

In Nobiliſsimi Viri

LAMBERTI VANDER-BVRCHI

Hiſtoriam genealogicam Ducum Sabaudiæ.

ALLOBROGVM *qui geſta Ducum Mauortia noſſe, &*
Ducta per innumeros ſtemmata quæris auos:
En tibi Lambertus quod Vander-burchius auſu
Egregio raræ texuit artis opus.
Digna viro illuſtri fuit hæc, me iudice, cura,
Heroum genus & perpetuare decus.
Regibus ô vtinam curam ille impendat eandem
Quotquot in Europa ſceptra benigna gerunt!
Sed faciet; neque me hæc vatem præſagia fallent.
Dent tantum, vt voueo, viuere Fata diu.
Nil humile aut paruum mens Vanderburchia verſat,
Nubila fulminiger ſic Iouis ales amat.

BON. VVLCANIVS.

In Reuerendi ac Nobilis Viri

LAMBERTI VANDERBVRCHI

genealogicam Sabaudiæ hiſtoriam.

NON *deſunt plerique alij, quos ſcribere iuuit*
Hiſtoriam, & geneſim Comitumq. Ducumq. Sabaudæ
Gentis, & optatæ meruere encomia laudis:
At tu illos longe ſuperas ſtudio atque labore,
Qui nil intactum, nil omiſſumque relinquis,
Hiſtoriæ præbere facem lumenque quod omni
Parte queat. verum id ſpecimen tantum atque figura
Præclarorum operum, quæ ſomni parcus & otij
Nocte dieque premis, quæ poſt quoque (ſi dabit ille
Qui ſolus regit humanos & dirigit actus)
Aſpicient lucem, ac multo maiore beabunt
Laude ſuum authorem, quem diuum ad ſidera tollent.
*Sed breuio, * nequis mihi forte ſuſurret in aurem,*
Dum fratrem laudas, teipſum laudare videris.

* Vt Atticus apud Cic. lib. 1. de legibus.

ADR. VANDERBVRCHIVS A. F. Pet. n.

In eandem Nobilis & Reuerendi Viri

LAMBERTI VANDERBVRCHI

Sabaudiæ hiſtoriam.

MAGNANIMVM *qui facta ducum, Regumque potentum*
Æternis mandant chartis propagine longa,
Linquunt venturis monumenta inſignia ſæclis,
Et condunt nullo perituros tempore fructus:

Nam veluti populus communi e flumine lymphas
Haurit, ad exemplum ſic horum fingere ſueuit
Mores, atque omnes vitæ componere formas:
Sic Vander-burchi, claris natalibus orte,
Digne tuis atauis, & par virtutibus illis
Qui laudem peperere tibi, nomenque dedere,
Munere in his libris præclaro fungeris, atque
Principibus magnis, & toti conſulis orbi,
Immenſas grates tibi clara Sabaudia debet,
Cuius deſcribis Rectores ordine pulchro;
Et quæ ſint diro vitiorum infecta veneno
Carpens, egregiis laudes virtutibus addens,
Sumpturis faſces fugienda ſequendaque monſtras.
Magnus Alexander forti gratatur Achilli,
Quod vatem rebus geſtis inuenit Homerum,
In cuius ſcriptis æternum duceret æuum.
Sic exultabit, niſi me ſententia fallit,
Te præcone ducum ſeries generoſa Sabaudum.
Viuant ac regnent dum condit lumina Titan
Oceano, viuant & tantum munus honorent,
Et ſe perpetuis declarent laudibus æquos.

GVILELMVS ASS.

LAM-

RENATI SABAVDI N

Lectori B

Tabulas has duas genealogicas (quas vir mihi amicus, & generis & virtutum gloria celeb dynaſta, ad me, non ita pridem miſit) quod facem aliquam, Gallia hu... adiiciendas putaui. Si id tibi gratum, lector ami...

- RENATVS Sabaudus nuthus Philippi Sabaudiæ ducis eius nominis ſecundi filius, cui vxor ANNA Laſcara Tendi comes, Ioannis Antonij Laſcari Conſtantinopolitani filia.
  - CLAVDIVS Sabaudus Tendij comes. Qui duas habuit vxores.
    - HORATIVS Sabaudus Tendij comes, cui v... Stroſsia Philippi Stroſsij filia, Petri Stroſsij Fra...
    - ELEONORA de la Touria. ſic appellatam cred... rij Turainæ vicecomitis & Eleonoræ Mommo...
    - RENATA Sabauda, cui vir Horfedi dynaſta.
    - .... Sabauda, nupta Naurei domino.
  - HORATIVS Sabaudus Villarſij comes, marchio inde, & Franciæ Admiraldus, vxorem habuit FRANCISCAM Alani Fecenſis, Chaſtilloni vicecomitis filiam.
    - HENRICA Sabauda Villarſij marchio, cui vi... Deſpreſsius Montpeſati dynaſta, Antonij Deſpreſſij ... CAROLVS Lotharingus Meinæ dux.
  - CAROLA Sabauda, cui vir ANTONIVS Lutzenburgenſis Brainæ comes.
  - ISABELLA Sabauda, quam vxorem duxit RENATVS Bughiagei comes, cui Imbertus Baretnayus Bughiagei dominus, auus fuit: qui Imbertus anno MCCCCLXXXIII. fato fungitur.
    - MARGARETA Bughiagei comes, cui vir GV... Vicecomes, Ludouici vicecomitis & Ioannæ Borbo... lius, Franciæ Marſchallus.
  - MAGDALENA Sabauda, cui vir ANNAS Mommorantius Franciæ comeſtabilis.
    - FRANCISCVS Mommorantij dux, cui vxor D... Henrici eius nominis ſecundi regis filia.
    - HENRICVS Montmorantij, fratre mortuo, du... Marchana, & Buillonenſis Roberti quarti filia.
    - GABRIEL Mommorantius Monsbroni dynaſta.
    - GVILELMVS Mommorantius Merui dominus, ...
    - .... Mommorantius Tore dominus ...
    - IOANNA Mommorantia, cui vir LVDOVICVS ...
    - CATHARINA Mômorantia, cui vir GVILIELMVS ...
    - MARIA Mommorantia, cui vir IOANNES Fec...
    - ELEONORA Mommorantia, cui vir FRANCISCV... nominis ſecundus Turainæ vicecomes.

IOTHI POSTERITAS.

ctori beneuolo.

glaisberrimus, nobiliumque per Belgium familiarum apprime gnarus, Walrandus Haſteni
huius temporis hiſtoriam legentibus præferre poſſe videbantur, ad finem operis
ſtere, operam me haut luſiſſe, gaudebo. Vale.

...cuius duæ: ALFONSINA ...Marſchalli neptis, & ...eadem Franciſci de la Tou... ...mox filiam.
- ......
- ......
- ......

...dynaſ...

...

...cui duo MELCHIOR ...eius ſecundo genitus, &
- EMANVEL Deſpreſius, materno cognomine Sabaudus dictus, Villaſij marchio. Cui vxor. . . .
- HENRICVS Deſpreſius Moutpeſati dynaſta.
- HENRICVS Lotharingus.
- EMANVEL Lotharingus.

...cui vir GVILIELMVS Ioyeuſij ...Vindocinæque fi-
- ANNAS Ioyeuſij dux, Franciæ Admiraldus, Normanniæ protex, cui vxor MARGARITA Lotharinga & Vauldemontia Nicolai Lotharingi Vauldemontij comitis filia, Mercutiani ducis ſoror. caret liberis.
- FRANCISCVS Ioyeuſius cardinalis & Narbonæ archiep.
- HENRICVS Ioyenſius Bughiagei comes, cui vxor de la Valettea Eſpernoni ducis Ludouici ſoror.
  - ......Filia vnica, cui vir HENRICVS Borbonius Moutpenſeti dux.
- SCIPIO Ioyeuſius, eques Maltenſis.
- GEORGIVS Ioyeuſius S. Saluatoris dynaſta.

...cui vir DIANA Franca, notha

...dux, cui vxor ANTONIA ...lia.

...dyn...

...dux, cui vxores duæ.

...vxor ANNA Lalana.

...imoulius Tourſi dux.

...tadourius Vantadouri dux.

... Candaillei comes.

...VS de la Tourius eius
- HENRICVS de la Tourius Turainæ vicecomes, cui vxor CAROLA Marchana, & poſt eam ELISABETHA Naſſauia Guilelmi Naſſauij Aurantij principis filia.
- ELEONORA De la Touria, cui vir HORATIVS Sabaudus Teudij comes.

DESPRESIORVM

GVILELMVS Deſpreſius Montpeſati dynaſta Normanniæ Seneſchallus, cui vxor....

LVDOVICVS Deſpreſius Normanniæ Seneſchallus, cui vxor CATHARINA Beauſartia & Druidenſis.

ANTONIVS Deſpreſius Normanniæ Seneſchallus Montpeſati dominus & Franciæ Marſchallus, Cui vxor N..,... du Fouia Iacobi du Foui equitis, & Foui domini filia.

GABRIE
manniæ Sene
tes, cui vxor
ſi Valentinoi
...auenſis ſa
&...... (c
ticoiſi dux, A
...ii pater, ma
...a Alani Albre

MELCHIO
peſati dominu
CA Sabauda F
arſi marchio
cenſis filia.

VM STEMMA.

GABRIEL Deſpreſius Normanuiæ Seneſchallus, Foui dominus, cui vxor DIANA Pictauienſis Valentinoiſi dux, N....... Pictauienſis ſancti Valerij dynaſtæ & .... (cui Valentinus Valentinoiſi dux, Alexandri Pontificis filius pater, mater Carola Albreta filia Alani Albreti dynaſtæ) filia.

N...... Deſpreſia, cui maritus ROBERTVS Marcanus Buillioni dux, Sedani dynaſta.

HENRICVS ROBERTVS Marcanus Builloni dux, Sedani dynaſta, cui vxor FRANCISCA Borbonia Ludouici Borbonij Montpenſerij ducis, & Iacobæ Longeuicanæ filia, ex qua procreauit Carolam Marcanam Buillonij hæredem. quæ virum habuit Henricum de la Tourium Turainæ viceeomitem. Qui ea defuncta Eliſabetham duxit Naſſauiam.

N...... Filia altera maternorum bonorum hæres, cui vir CLAVDIVS Lotharingus Aumalæ dux.

MELCHIOR Deſpreſius Montpeſati dominus, cui vxor HENRICA Sabauda Horatij Sabaudi, Villarſij marchionis & Franciſcæ Fecenſis filia.

EMANVEL Deſpreſius materno cognomine Sabaudus dictus, Villarſij marchio, Cui vxor...

HENRICVS Deſpreſius Montpeſati dominus.

GENEVAE COMITVM *quoniam frequens in opere hoc me…*
rebus apprime verſatus, Lambertus Sn…

GVIDO Geneuæ comes, qui vxorem habuit. . . . .

. . . . Geneuæ comes, cui vxor. . . . .

AMADEVS Geneuæ comes, qui vxorem habuit. . . . .

IOANNA Geneuenſis, cui vir GVISCHARDVS Beaujeul regulus, Foreſti & Beaujouloiſi comes.

GVILELMVS Geneuæ comes, cui vxor AGNES Sabauda Amadei eius nominis quarti Sabaudiæ comitis ex priore vxore filia, ea ipſa quæ infra proxime poſita.

AMADEVS Geneuæ comes, ſodalitij Sabaudici eques, cui vxor MAHALTIS Lutzéburgenſis Guidonis ſancti Pauli comitis, & Mahaltis Chaſtillioniæ filia. Moritur anno MCCCLXXXIII.

MAHALTIS Geneuenſis, cui vir AMADEVS Sabaudus Pedemôti princeps.

PETRVS Geneuenſis, Lulini, Tounoni, Moudoni, & Veillani Baro, Corſingei, Buringæ, & Trambierei dynaſta, cui vxor MARGARETA Chalonia Hugonis Chalonij ſoror.

THOMAS Geneuenſis, Lulini baro, ſodalitij Sabaudici poſt patré eques, cui vxor . . . . . Theobaldi Neufchaſtelli in Burgundia dynaſtæ filia.

GVILELMVS Geneuenſis, Lulini, Baltiei, Tounoni, Velliani baro, & ſodalitij Sabaudici eques, qui vxores habuit duas. . . . . baronis Vergij in Burgundia filiam, & . . . cui Virij in Sabaudia baro pater.

BLANCA Geneuenſis, cui vir HVGO Chalonius Arlaij baro, & vicecomes Bizantinus.

BEATRIX Geneuenſis, cui vir Azo Eſtæ, Ferrariæ & Ancouæ, Veronæque marchio.

BEATRIX Geneuenſis, THOMAS Sabaudiæ & Maurienæ comitis vxor.

THOMAS Sabaudus, Flandriæ ab vxore priore comes, cui vxores duæ, IOANNA Flandriæ comes, & BEATRIX Petri Fliſci Lauaniæ comitis filia, ex qua natus

AMADEVS eo nomine quartus, mortuus anno MCCCXXIII. vxores duas habuit, SIBYLLAM Breſſanam, & MARIAM Ioannis Brabantiæ ducis eo nomine primi filiam.

AGNES Sabauda, cui vir GVILELMVS Geneuæ comes, is ipſus qui ſupra proxime poſitus.

AMADEVS Sabaudiæ comes eo nomine quintus, cui vxor IOLANDA (Catharina aliis) Theodorici Palæologi Montisferrati marchionis filia.

AMADEVS Sabaudiæ comes eius nominis ſext… BONA Petri Borbonij ducis filia. Moritur ille an… LXXXIII.

...ntio, eius gentis ſtirpem (cuius mihi nobilis iuuenis, & in huiuſmodi ...ſtyus copiam fecit) ſubiiciendam putaui.

Cvi: ... Gene... Lul... Baſtici ... nonii ... ani ba... & ſoda... Sabau... eques ... vxores ... educi ... ba... Ve... Bre... ſi... & ... ri in ... dia pater.

IOANNES Geneuenſis, ... baro, Baſlici, Tounoni, ...ſtellanique dominus. Illi vxor IOANNA Viennenſis in Burgundia.

ESMERIVS Geneuenſis, Lulini, Baſtici, Tounoni, & Veillani baro, ſodalitij Sabaudici eques, Mareſchallus, & tractus Vaulxij Vercellarumque præfectus, cui vxor MARIA Doini baronis in Sabaudia filia, ſoror vxoris vicecomitis Martiguesij, aui vxoris ducis Mercuriani.

GVIDO GENEVENSIS, Lulini, Baſtici, Tounoni, & Moudoni baro, duci a cubiculis, & conſilij ſtatus cõſiliarius, prætoriarumq. cohortium præfectus, vxores duas habuit: CATHARINAM baronis Raij, & filiæ baronis Virij, Gioiciæ comitis filiam; & MARIAM cui Grolleri in Sabaudia comes pater.

CASPARVS Geneuẽſis ex priore, Lulini marchio, Ballici, Tounoni, Veillani baro, Surimgei, & Perſij dynaſta, Sabaudici ſodalitij eques, duci a cubiculis, conſilij ſtatus bellicique conſiliarius, Heluetiorum ad ducis cuſtodiam excubantiũ præfectus, Auguſtæ, & comitatus Caneuaſii adminiſtrator: cui vxores duæ, ANTONIA Fuchierea, Leſtoillei, Raoni, & Ranſeaui domina. MARIA Hornana Gasbeque, Ninoni, & Heſæ domina.

CLERIADVS Geneuenſis Ballici baro, & Leſtoilei, Raoni, & Ranceaul dynaſta, ex nobilibus qui duci a cubiculis ſunt.

CAROLVS EMANVEL Geneuenſis, qui ætatis anno decimo viuere deſiit.

GEORGIA Geneuenſis, cui vir ..... Vautrauerſius Deſclaui baro.

...... Vautrauerſia, cui vir ANTONIVS Pontallierus Vaugirenani baro.

FRANCISCA Vautrauerſia FERDINANDI Piemontij baronis vxor.

MARGARETA Geneuenſis Baulmei abbatiſſa ex priore.

CAROLA Geneuenſis, ex priore.

FRANCISCA Geneuenſis, ex priore.

PROSPERA Geneuenſis, ex priore.

PHILIBERTA Geneuenſis, cui vir PROSPER Menthonus Rocheforti comes. Philiberta hæc eiuſque ſoror Perona poſterioris coniugij liberi.

PERONA Geneuenſis, cui vir ..... Boegeus Pierrechatuci dynaſta.

GEORGIVS Geneuenſis Perſij regulus, Vercellarum præfectus, vxoris expers.

PROSPER Geneuenſis, ſodalitij Sabaudici eques atque decanus, ex domeſticis regis Hiſpaniarum nobilibus. Illi vxor. ..... vidua domini Velduici in Brabantia.

HANNIBAL Geneuenſis, Corſingei dominus, cui vxor filia dynaſtæ de Bel in ſolo Pedemontano.

MARIA Geneuenſis, cui vir ..... Menthoni baro.

...inis ferit, cui vxor ... ille anno MCCC-

MARIA Geneuenſis nupta ..... Chalani comiti ſodalitij Sabaudici equiti.

...... Chalani comes, mareſchallus & ſodalitij Sabaudici eques, Illi vxor ISABELLA Alfonſi Braganciæ ducis apud Portugallos filia, agnata proxima Beatricis Portugallæ Sabaudiæ ducis vxoris.

LAMBERTI VANDER-BVRCHII

SABAVDORVM

Ducum Principumque

HISTORIÆ

GENTILITIÆ

LIBER PRIOR.

De Beraldo Primo Moriennae Domino.

MORTALIVM primus in Morienna Mauriennave imperium obtinuiſſe ſcribitur BERALDVS, Hugonis ducis Saxoniæ (cui Otto imperator eo nomine tertius frater) filius, ex tribus natu minimus, Ottoniſque ſecundi nepos. Is puer admodum, amiſſo patre, cum fratre vtroque Frederico & Vlricho, in patrui ſui Ottonis imperatoris fidem tutelamque traditus, tantos paulatim (vt animi præclara erat indole) in omni virtutum genere fecit progreſſus, vt non apud imperatorem ſolum, ſummum ſibi gratiæ authoritatiſque pararet locum (adeo vt nihil in rebus maxime arduis, eo inconſulto ille faceret) ſed apud mortales etiam reliquos carus haberetur. Cæterum cum Mariam Aragoniam patrui ſui Ottonis coniugem in adulterio deprehenſam, vna cum adultero,

facinoris motus indignitate, confodiſſet, Renatus comes Montenſis, defunctæ Mariæ propinquus (alij patrem fuiſſe aiunt) grauiter factum hoc ferens, ingentem protinus aduerſus Saxones exercitum conſcribit, belliquе totius curam filiis, quos habebat quatuor, committit. Beraldus qui ad primum eius rei nuncium ex Imperatoris aula in Saxoniam aduolarat, maximis illico coactis copiis, imperatoriaque propinquitate & ſubſidio fretus, aduerſus Montenſes fratres proficiſcitur, quos genio, in media velut pace cum vniuerſo milite indulgentes, & nullo metu, non antepoſitis vigiliis, ſegnius belli munia obeuntes, *Guermuchio equite Saxone, locorum gnaro, iter indicante, de improuiſo opprimit, cæſiſque Conrardo & Ludouico natu minoribus, fugam reliquos Cretheliuт & Henricum capere cogit. Quo annis iam aliquot inter Saxones & Montenſes continuato bello, ea tandem inter eos pacificatur lege, vt Germania vniuerſa Beraldus decedat, decennioque toto ad eam ne redeat. Abeuntem Imperator ſcuto aureo, cui aquila vngulis roſtroque rubra, corpore reliquo nigra inſculpta erat, inſignium loco (gentilitiis enim ex contractu illo pacificatorio vti vetabatur) donat. Multis peragratis terris, cum Seiiſſelam tandem veniſſet (ad Rhodanum ea ſita ciuitas) arcem Culanam, tutum hactenus in Sabaudiæ (quæ Burgundiæ tum parebat regibus) ſolo, latronum, vicina loca grauiter infeſtantium, receptaculum, pulſis fugatiſque incredibili virtute latronibus, expugnat & capit. Quo præclaro facinore Bozonem, tractus illius tum regem, vehementer ſibi deuinxit. Defuncto autem Bozone, cum Rodulphus

al. Guermachio.

eius

eius frater in Burgundiæ regnum ſucceſſiſſet, Geneuenſem populum, Salucianum, Suſæque ſeu Seguſij marchionem & Pedemontanum principem, bellum illi mouentes, præclaris aliquot prælijs ſuperatos, ad eius denuo imperium redire, & vniuerſam tandem Mauriennnam (quæ Burgundiæ tranſiurenſis pars) anno a nato Domino DCCCCXCVIII, illi parere Beraldus, Vienneneſi donatus præfectura, cogit. Cuius ſingularis beneficij ſuauiſſima recordatione motus Conrardus imperator, poſtquam mortuo ſine liberis Rodulpho, ad eum imperium Burgundiæ ſeu Arelatenſe regnum, & quidem ex Rodulphi ipſius (cuius cognatam proximam Giſelam vxorem duxerat) teſtamento fuerat deuolutum, Humbertum Beraldi huius filium Maurienna donat, primumque Mauriennæ comitem principemve creat. Exiſtimat Iulianus Taboëtus Mauriennam ab ipſomet Burgundiæ rege Beraldo, imperatoris permiſſu, donatam fuiſſe. Crediderim ego a Burgundiæ quidem rege ea prouincia donatum Beraldum, ſed a Conrardo imperatore, mortuo demum Burgundo, comitatus eam titulo inſignitam. Loco huic annis viginti & octo cum præfuiſſet, fato tandem anno poſt natum Dominum, vt plerique opinantur, MXXVII. functus Arelate in diuæ Mariæ virginis ſacra æde ſepelitur. Eſt qui Mauriennam Marianam olim a Mario ciue Romano appellatam opinetur, cuius vetuſtæ originis ignarum (inquit) vulgus, Mauriennam, corrupto paulatim vocabulo, nuncupauit. Sunt quoque qui Amadeum ſiue Immodum Wittikindi magni ducis Saxoniæ pronepotem, comitem Reingelheimium, Beraldo patrem fuiſſe affirment.

DCCCCXCVIII.

MXXVII.

Ego Taboëtum Paradinumque, hiſtoriam hanc ex profeſſo ſcribentes, interdum alioqui hallucinantes, haud hic aberrare crediderim, præſertim cum Ioannes Cuſpinianus, & poſt eum Franciſcus Belleforeſtus, Lanceloruſque Voiſinus, Sabaudiæ comites principeſque ab Ottonis ſecundi imperatoris filio Beraldo originem trahere affirment. Quam nos Mariam Aragoniam Ottonis imperatoris coniugem ob commiſſum adulterium a Beraldo hoc trucidatam diximus, Cuſpinianus, & qui poſt illum eam hiſtoriam tractarunt (inter quos Carolus Sigonius, qui pluribus eam rem verbis deſcribit) Mutinæ ad rogum a marito damnatam, narrant. Sed mihi haud facile id probauerint: neque enim veriſimile eſt imperatorem tam atroci ignominioſoque ſupplicio publice in vxorem vſum, quam in arcem aliquam, perpetuo in ea aſſeruandam, cum minore nominis ſui nota, potuiſſet includere. Beraldo hoc rerum per Maurienam potiunte Henricus Burgundiæ dux, nullis ex vxore * Gerberga Diuionenſi comite, ſublatis liberis, moriens, teſtamento ducatum, vti aiunt, Roberto Francorum regi, fratris ſui filio reliquit. Conſtat tamen (inquit * Nicolaus Vignierius) ex commentariis cœnobij diui Benigni, Henricum ſibi ante obitum ſuum adoptaſſe ſucceſſoremq. in ducatu inſtituiſſe Ottonem Guilelmum Gerbergæ vxoris ſuæ ex priore marito filium, adeo vt cum antea comes tantummodo ille nominaretur, dux & comes ſimul Burgundiæ, deinceps aliquamdiu fuerit appellatus. Landricus nihilominus Niuernenſis comes pluribus Burgundionum acceptior, ſe Burgundiæ ducem dictitare, arces atque oppida in fidem ſuam quamplurima

el. Gerſinda.

In Burgundionũ chronico.

plurima recipere auſus eſt. Cæterum Robertus rex ducatum iure tum hæreditario, tum regio, potius quam teſtamentario ad ſe deuolutum intelligens, maximis collectis protinus copiis, validoque ſubnixus Normannorum auxilio, Burgundiam adoritur, & vtraque factione oppreſſa, ſuo adiungit imperio, Landricumque in Altiſſiodorenſi ciuitate obſeſſum, deditioneque captum tãdem, iuri Burgundico in perpetuum renunciare cogit: Otto vero Guilelmus, comitis retento titulo, ducis in poſterum abſtinuit. Ottoni huic ex Hermentrude vxore liberi fuere Otto, cui pater ſuperſtes, Rainaldus ſiue Rainardus & Wido. Hactenus Vignierius.



CATHARINA *Palatina Schirenſis, quam* } HVMBERTVS *Maurienna comes primus.*

Catharinam Germanam appellant alij. Alij eius omiſſo nomine cognomineque, inſignium tantum meminere, quæ alia diuerſaque ab hiſce fuiſſe aiunt.

DE HVMBERTO MAVRIENNAE COMITE PRIMO.

BERALDO HVMBERTVS filius ſuccedit, Mauriennæ in Sabaudia comes primus, & Seguſij, mortuo ſocero, marchio, qui a manuum ſingulari candore, Albimanus, ſi ita loqui fas ſit (matronis nobilio-

ribus hoc illum nomine donantibus) dictus fuit. Hunc ad ſe Romam accerſitum, comiterque exceptum Conrardus Romanorum imperator (ad Henricum ſecundum id referunt nonnulli) vt patris eius Beraldi (a cuius virtutibus, quantum ex generoſa animi eius indole perſpicere erat, haud videbatur degeneraturus) præclara in imperium merita, inſigniore aliquo beneficio compenſaret, Mauriennæ, aut (vt nonnulli appellant) Mauricianæ in principum imperij auguſto conſeſſu, creat comitem, quod ditionem illam regnumque Arelatenſe vniuerſum pater eius Beraldus, de Rodulphi Burgundiæ regis hoſte, armata (vti diximus) ceperat manu. Crediderim potiſſimum mouiſſe imperatorem, quod per alpes liberum ſibi tutumque in Italiam aditum, quandocunque res ita poſtularet, patere cupiebat. Cæterum in Italia exiſtente Humberto, cum Mauriennam marchio Seguſianus inuaſiſſet, reuerſus propere ad ſuos, eius rei accepto nuntio Humbertus, marchioni arma infert; ſed eius tandem filia Adeli (quam Saluciano marchioni collocare ille conſtituerat) in vxorem ducta, omnis illa controuerſia ſublata fuit, moriturusque marchio Humbertum vxoremque eius, filiam ſuam, teſtamento hæredes ſcribit. Deceſſit ex luce hac, quinquagenario
MXLVIII. maior, vitæ curriculo præclare tranſacto, Domini anno ſupra milleſimum quadrageſimo octauo; Amadeum filium (quem, quod patris auique ſui exemplo omnibus amabilem ſe gratumque præbiturum aliquando, certo confiderent, eo fauſti ominis nomine donandum prouinciæ illius proceres cenſuere) ſucceſſorem relinquens, & Mauriennæ in ſacra diui Ioannis æde,

(quam

(quam peropimis annuis prouentibus donarat) ſepelitur. Ea tempeſtate Rodulphus ex Ottonis Imperatoris natus ſorore, primus Albonij (quod in Arelatenſi ſolo ſitum dominium) ab * Henrico imperatore antedicto creatus fuit comes. *Conrardo alius.*



ADELES ſiue Alexia Seguſiani marchionis filia hæreſq. vnica, Ottoni Italiæ marchioni (cui Bertham Henrici quarti imperatoris, Adelamque Audolphi Rhynsfeldij coniuges peperit) ſecundis nuptiis iuncta. *Adelaida alius.*

- AMADEVS *patri ſuccedit.*
- PETRVS *marchio Seguſianus ſeu Suſanus. Huius pauci meminere. Sunt tamen qui Agnetem illi filiam fuiſſe affirment.*
- OTTO. *Et huius rara mentio.*
- ELISABETHA *Ottoni Matiſconenſi in Italia comiti nupta.*
- *. . cui vir Luitfridus comes Seringenſis.*

Sunt qui Bertham Amadei quoque filiam fuiſſe ſcribant. Belleforeſtius Breſſæ marchione natam, eiuſque coniugij intuitu, Breſſam Sabaudiæ acceßiſſe autumat; falſus fortaßis, quod Breſſanum Seguſianumque populum vnum eundemque fuiſſe plerique exiſtiment. Adeles hæc Seguſianum marchionatum in filium tranſmiſit.

DE AMADEO EO NOMINE PRIMO.

AMADEVS eo nomine primus Maurienn æ comes Suſæque marchio, Humberto patri Domini anno MXLVIII ſuccedit. Caudatum dictum aiunt, quod cum in Henrici eo nomine tertij imperatoris (cum quo domeſticus illi olim vſus conſuetudoque fuerat) cubiculum in Veronenſi oppido, ingenti virorum nobilium, qui pone ſequebantur, (quos in Italiam imperato- MXLVIII.

ris coronationem auguſtiorem vti faceret,ſecum adduxerat) comitatus numero,cuperet forte intromitti,iuberetque imperator ianuam illi reſerari, at ſoli & excluſa (vti aiebat) cauda: ſe non ingreſſurum niſi cum eo comitatu,animo prorſus intrepido reſpondiſſet,addens,ab imperatoris ſe potius amicitia diſcedere velle. Quo tam ingenuo liberoque reſponſo delectatus imperator,nobiles omnes illos adoleſcentes vna cum Amadeo intromitti imperat. Cæterum Amadeum hunc cum plerique iuuenes primæ nobilitatis illi coætanei bellum aliquod præclarum ſuſcipere vti vellet ſubinde admonerent, prudenter admodum, bella quæ citra neceſſitatem ad animi tantum oblectamentum ſuſciperentur,infauſtum infelicemque vt plurimum exitum habere reſpondit, facileque eſſe cuiuis viro principi, etiam timidiſſimo bellum aliquod aggredi,ſed eo,poſtquam ſuſceptum ſemel fuerit, feliciter & pro voluntate defungi, id equidem in nullius ne fortiſſimi quidem hominis eſſe manu: neque enim in eiuſdem poteſtate initium eius & finem eſſe; & ſumi quidem bellum ab ignauis, ſtrenuiſſimi cuiuſque periculo geri. Mihi (inquit) æquitate quam ſanguine, cauſſa quam armis, retinere parta maioribus, præſtare ſemper viſum. A Guilelmo Burgundiæ comite (Gerardum appellant alij) Renati ſeu Reginaldi comitis,& Aliciæ Normannæ filio (cui cum Lotharingiæ principe Godefrido illique confœderato Barri comite, graue moleſtumque bellum erat) in auxilium vocatus, per eam iuuandi principis vicini finitimique occaſionem, nobiles illos adoleſcentes belligerandi æſtuantes deſiderio,otiumque quod inertes ignauoſque faceret homines

nes, deteſtantes, domo educit, Burgundoque ſuppetias fert. Iunctis viribus, triplicem protinus Sabaudus Burgunduſque aciem inſtruunt (primam Matiſconenſis ducebat comes, Amadeus alteri, tertiæ Burgundus præerant) & in hoſtem (qui ſuas quoque copias pro caſtris produxerat, aciemque inſtructam habebat) impetum faciunt. Atrox ilico prælium committitur, dubioque aliquamdiu marte certatum fuit; donec prima Burgundi acies (vehementer eam ſuorum multitudine premente Lotharingo) Matiſconenſi comite cæſo, pulſa atque in fugam conuerſa tandem fuit. Qua reiecta, cum ſub ſecundam aciem ſucceſſiſſet hoſtis, prælium mox, hoſtilem impetum fortiter ea acie ſuſtinente, fuit reſtitutum, Amadeuſque inſigni aduectus equo, in omnem interitus partem, celeberrimæ tandem victoriæ, auerſa ſingulari ſua virtute ab ea quæ maxime inclinare viſa eſt acies parte, in aliam pugnæ mole, author Burgundo fuit. Eo enim ſtratagemate erectus in ſpem palmæ Lotharingus, cecidit. Moritur ſæculi tandem eius anno * LXXX. & al. LXXVI. Maurienna in diui Ioannis æde iuxta patrem tumulatur. Eam ille ædem magnis multiſque donatam vectigalibus iuribuſque, canonicorum numero, nouem aliis veteribus additis, aucto; tabuliſque regiis, quæ eorum continebant inſtitutionem, confirmatis, ornatiorem ſplendidioremq; fecerat. Eſt qui ab Henrico quarto imperatore alpes traiecturo, vt liberum in Italiam illi pateret iter, Burgundiæ cum parte quadam anno illius ſeculi LXXVII. donatum ſcribat. Obſeruandum hic, quod quem Henricum quartum Cuſpinianus, eum tertium alii appellent. Cum Amadeus hic (inquit Paradinus)

Guilelmi Burgundiæ comitis filiam Ioannam deperiret, puellæ pater eo animaduerſo (quis enim bene celat amorem? vt quidam ait) vltro apud iuuenem pudoris modeſtiæque retinentiſſimum, matrimonij facta mentione, maiores noſtros tribus olim hominum generibus diras publico edicto fuiſſe imprecatos, narrabat: primos fuiſſe inter hos, qui matrimonio in vniuerſum abſtinerent; alteros, qui vergente demum ætate; tertios poſtremoſque, qui aut malas, aut deformes vxores ducerent. Eo comitis Burgundi alloquio in amore ſuo vehementer confirmatus Amadeus, reſpondere ſubridens, matrimonij eandem, quæ ſenectutis, ad quam mortales omnes aſpirare, ſed cuius potiundi, poſtquam eam ſint adepti, faſtidio tædioque capiantur, eſſe conditionem. Aderat tum forte ex equeſtri ordine quidam extrema ætate vir. Is ſibi quendam in vicinia ſua notum olim, referebat, qui iuuenis etiamnum ab amicis propinquiſque de matrimonio ineundo admonitus, tempeſtiuum nimis id eſſe: idem annis aliquot poſt, iiſdem vrgentibus amicis, habilem ſibi ad eam rem ætatem iam præteriſſe, reſpondebat; ab omni nimirum ætate coniugium eo reſponſo cum Diogene, qui iuueni nondum, ſeni nunquam vxorem ducendam eſſe dicere erat ſolitus, remouere volens. Vixit hac tempeſtate Dominicus Siluius dux Venetus, cui vxorem fuiſſe referunt annales, genere Conſtantinopolitanam, mulierum ſui æui longe pulcherrimam; ſed Græci faſtus atque ſuperbiæ. Hæc, res cæteras omnes vni formæ ſuæ curæ cum poſt haberet, guttis roris maximo labore collectis corpus in balneis lauare erat ſolita: Cibos quoque ab eunuchis fruſtil-

latim conciſos aureis fuſcinulis, ne digitos eorum contactu contaminaret ori inferebat. Domum ſuam ea odorum varietate refarciebat, vt nimia ſuauitate ingredientium penè ſenſus obruerentur. Sed intempeſtiuæ immoderatæque luxuriæ meritas tandem, vltore Deo, mulier infelix dedit pœnas, poſtquam gratiſſimo illo odore in teterrimum de repente commutato, funeſtiſſima totum eius corpus inuaſit tabes, quæ fœtore graui non homines ſolum ab eius arceret aſpectu, ſed ipſum etiam aëra inficeret, adhibitis nequicquam, luis illius abluendis ſordibus, iis ipſis quas paulo ante contumaci moroſitate abhorruerat aquis.



IOANNA Burgundia (Ianam appellant alij) Guilelmi Burgūdiæ comitis filia. Illius Guilelmi qui perpetuo Amadei huius auxilio de Lotharingo paulo ante contractum matrimonium hoc (ſupra vti demonſtrauimus) triumphârat. Guilelmus Paradinus, Ioannam hanc Guilelmi ſororem, Reginaldi vero Burgundiæ comitis eo nomine primi ex Aliza, cui Ricardus Normanniæ dux pater, filiam fuiſſe ſcribit.

HVMBERTVS eo nomine Maurienna comes ſecundus.

AMADEVS, ſiue Amatus, cuius pauci meminere.

DE HVMBERTO EIVS NOMINIS SECVNDO.

POST fato functum Amadeum, Humbertus eo nomine ſecundus Mauriennæ Domini anno MLXXX. gubernacula ſuſcipit, Brianconiique regulum, MLXXX. grauem in ſuos finitimoſque (quibus negotiorum ſuo-

rum cauſſa neceſſario iter per eius fines erat faciendum) tyrannidem exercentem, nouis inſolitiſque tributis eos vexantem, fruſtra vti deſiſteret ſæpius monitum; ſumptis ad oppreſſorum, quorum miſeriis indolebat, preces, aduerſus eum armis, ſaniora capere conſilia & immodicis inſolitiſque vectigalibus illis ſublatis, ſibi parere cogit. In Syriam aduerſus Saracenos, communicatis cum Godefrido Bullionio aliiſque Chriſtiani nominis proceribus quam plurimis, conſiliis atque opibus, Vrbano quarto Pontifice vehementer eam expeditionem vrgente, profectus, non inutilem in Palæſtina expugnanda operam nauauit. Quo bello ſpectatæ virtutis famam conſecutus, domum Domini anno milleſimo & cente-
MC. ſimo (poſtquam nimirum Godefridus Bullionius Hieroſolymorum rex renuntiatus fuit) cum reuertiſſet, ex longo tædioſoque, quem in itinere periculi pleno, con-
MCIX. traxerat morbo, ſæculi quod ſubſecutum fuit anno nono deceſſit, & Muſterij (quam ille vrbem, Tarentaſiam appellatam aliis, cum toto eo tractu, tyrannis tribus, qui graui eam premebant dominatu, pulſis, imperio ſuo, ciuium partim voluntate, partim metu adiecerat) in æde principe conditus fuit. Humberto hoc in Maurienna imperante Carthuſianorum monachorum ſodalitium ſub annum milleſimum & octuageſimum initium habere cœpit, Brunone quodam authore, qui abductis ſecum ex Pariſienſi academia, vbi Theologiam profitebatur, in ſolitudinem quandam non procul a Gratianopoli (quæ in Gallia Narbonenſi vrbs) diſcipulis aliquot, ſanctiſſime vitam inſtituit.



LAVRENTIA Venitia, Vennini tū comitis filia, Carpentoracti Humberto matrimonio iuncta, matrona longe honeſtiſſima.

- AMADEVS *Sabaudiæ comes primus.*
- REINOLDVS *Præpoſitus vltimus collegij Mauriciani, vt nonnulli opinantur.*
- GVILELMVS. / HVMBERTVS. — *horum pauci meminere.*
- ADELIS *ſiue Alexia Ludouici Craßi Gallorū regis vxor, . . vxor Guilelmi marchionis Montiſferrati. Huius rara mentio.*
- IOANNA, *cui vir Guilelmus Normannus Flandriæ comes.*

DE AMADEO EO NOMINE SECVNDO, SABAVDIAE COMITE PRIMO.

AMADEVS eius nominis ſecundus Mauriennæ comes Seguſianorumque marchio (Otto Friſingenſis Taurinorum vocat marchionem) decora iuuenta, corpore ingens, animi immodicus, dignus Humberto patre, cui ſucceſſit filius, primus ab Henrico quinto imperatore, quod optima fortiſſimaque variis bellis illius opera fuerat vſus, Sabaudiæ (quæ imperij Germanici, inquit Bodinus, prouincia, & imperij feudum antea fuit) creatur comes, ea lege, titulum hunc cæteris omnibus, quibus præfulgebat, vti præferret, vtque clientelari feudaliue in poſterum iure imperium Romanum Sabaudia reſpiceret. Beaujoiſii quoque ab eodem illo imperatore dominio donatur. Dependebat quidem (vt obiter hoc dicam) a Burgundiæ olim regno ſolum Sabaudicum, ſed Burgundia in Romano-

rum tandem imperatorum concedente poteſtatem, per magiſtratus ab imperatoribus miſſos, adminiſtrari Sabaudia cœpit: qui cum ſuperbe ac auare imperarent, bonique publici nullam haberent curam, Henricus tandem imperator Amadeum hunc prouinciæ illi, cum comitis (vti diximus) titulo præfecit. Geneuenſem comitem, qui ob ſpretas filiæ ſuæ nuptias, fines eius ex improuiſo cum magna manu inuaſerat, maximaque eius ſubditis, eorum agros vaſtando, ædificia incendendo, prædaſque agendo, damna intulerat, Roma (quo cum Henrico imperatore antedicto, imperiali ibi inſigni
MCXI. euinciendo Domini anno MCXI. fuerat profectus) magnis itineribus ad ſuos reuerſus, ingentibus vndiq. contractis copiis, & ſoceri auunculique Albonij & Veniciarum comitum implorato auxilio, bello adoritur. Cæterum quia militum numero minus valebat, locique prohibebant anguſtiæ, ne multitudine hoſtium poſſet circumueniri, vnam tantum aciem inſtruendam exiſtimauit. At ſuorum fretus multitudine Geneuenſis, duas inſtruere acies, inde vniuerſas vires in conſpectum dare. Comes Nidoneus, cui in alteram aciem imperium erat, primò conſtanter initium pugnæ accipere, conuerſiſque in Albonij comitis militem ſignis, quod eam partem minus firmam hoſtium eſſe animaduerterat, eam protinus facere impreſſionem, vt prægrauante multitudine, cedere ille ſenſim cogeretur. Quo laxatis ordinibus, inter ſuos recepto, profligatam pugnam Amadeus accipit, Nidoneumque comitem, ante aciem ſuam in fronte fortiter pugnans, acerrimeque rem gerens, loco decedere cogit. Rediit eo facto Alboniis animus, & verſus in
victores

victores a victis terror, Geneuenſi nequicquam ſuorum ignauiam increpante. Quo (quod auiditate certaminis prouectus in manifeſtum ſeſe periculum dediſſet) a Nicolao Columna nobili Romano, cui vulnus ille inflixerat, cæſo tandem, pulſi in vniuerſum Geneuenſes, & pars in fugam effuſi, pars a fronte & a tergo ab hoſte circumuenti, cæſi fuere. Victor Sabaudus, arcibus aliquot, inter quas Saꝛenaya & Curillonum, funditus deletis, grauiora longe quam acceperat ditionibus Geneuenſis damna intulit. Cum Ludouico Craſſo Galliarum rege (cui Adelis ſoror eius nupſerat) graue illi diſſidium interceſſit, quod permoleſte ferret, Ludouicum natu minorem regis filium, Roberto fratri ætate maiori, ab vtroque parente prælatum. Cæterum diuinis melliflui illius Bernardi monitis acquieſcens tandem, facta cum Ludouico iuniore (patri is in regnum ſucceſſerat) pace, in gratiam cum eo rediit. Dederat paulo ante ad eum ea ipſa de re literas Petrus abbas Cluniacenſis, vir vitæ inculpatæ, & principum componendis diſſidiis peridoneus, ſed quod altiore deliberatione opus eſſe reſpondiſſet Sabaudus, nihil tum perfici potuit. Earum literarum exemplum infra ſcriptum eſt.

Nobiliſſimo principi, & chariſſimo amico noſtro »
domino Amedeo comiti & marchioni F. P. humilis »
Cluniacenſis abbas ſalutem & æterni participium prin- »
cipatus. Glorioſus rex Francorum Ludouicus, & ante »
miſerat, & nunc iterum nobis miſit nuncios ſuos, quos »
& vobis dirigi, & per manum noſtram, quod a vobis »
petierint, impleri rogauit. Qui quamuis per ſeipſum, »
vtpote inſignis flos & præfulgidum germinis veſtri ſi- »

„ dus, cuncta quæ voluerit apud vos debeat obtinere,
„ quia tamen me precum ſuarum mediatorem elegit, ro-
„ go vt ſicut ipſe hoc per me petendo efficacius ſe impe-
„ trare confidit; ita vos largiendo, non fruſtra eum iſtud
„ ſperaſſe monſtretis. Cum que ipſe ſuperna gratia, & regni
„ terminos pene duplicando, & iuueniles annos virtuti-
„ bus adornando, ſumma veſtri generis gloria ſit, non de-
„ bet aliquam in precibus ſuis pati repulſam, cui & regia
„ magnitudo & ſanguinis communio cuncta de vobis
„ ſperare ſuadent. Et cum deriuato a patre nomine & re-
„ gis patruus dicamini, decet vos & eius regno conſulere,
„ & ipſi vt filio in omnibus prouidere. Quod vtrumque
„ ſimul implebitis, ſi eum in præſenti negotio audieritis.
„ Sed nolui illud his quas mitto literis inſerere; quia ple-
„ nius id ab ore nunciantis, quam a manu ſcribentis acci-
„ pere poteritis. Hoc poſtquam cognoueritis, quod tamen
„ & iam audiſtis, Oro ne innocenti puero patrum pecca-
„ ta, nec reginæ vel regalium aulicorum veteres forſitan
„ culpæ, nouo regi noceant. Quia iuxta diuinam prophe-
„ tæ ſententiam, Non portabit filius iniquitatem patris,
„ neque pater iniquitatem filij. Date operam (quod &
„ facere præ cunctis mortalibus, natura ipſa compellente
„ debetis) profectibus & honori ipſius. Nam & in pro-
„ fectu eius vos proficere, & honorem ipſius vobis (vt
„ credo) gloriam parere ſentietis. Cum eodem illo Gal-
liarum rege Ludouico & Conrardo eius nominis tertio
imperatore, ingentiq. reliquorum Chriſtianorum pro-
cerum (qui, concionante pro ſacro bello eodem illo di-
uo Bernardo, accurrerãt vndique, & ſacra ab inſigni pie-
tate animique magnitudine certatim omnes arma, per-

nobili

nobili illo claſſico canente exciti, induerant) numero, in Aſiam ſæculi eius anno quadrageſimo ſexto traiicit, MCXLVI.
ſed re nulla præclariore geſta (Damaſci enim Latinorum quorundam Theodorico Flandriæ comiti, illi regendæ vrbi deſtinato, eam fortunam inuidentium ſumma perfidia, expugnandi occaſio amiſſa fuit) domum dum reuertitur, morbum in Cypro, quo ex itinere deflexerat, lethalem ſibi contrahit, ex quo paulo poſt, anno ſæculi eius quadrageſimo octauo decedit, & in ſanctæ MCXLVIII.
Crucis montanæ Abbatia, Cypro rege iuſta faciente, perhonorifice, & tali digna principe pompa elatus, ſepelitur. Grauis eorum hic apparet error qui Amadei huius opera Rhodum conſeruatam ſcribunt, quique alia nonnulla, quæ longo poſt tempore, ab Amadeo eius nominis quarto geſta fuere, illi aſſcribunt: Abbatias (recepto hactenus vtor vocabulo) Thamiſeanam, eo in loco, vbi de Geneuenſi comite victoriam reportarat, & diui Sulpicij in ſolo Beaujoyſio, nato ſibi filio (ita enim ſi liberos ſibi naſci contingeret, facturum ſe promiſerat) vrgente vehementer vxore, & voti eum huius ſubinde admonente, infirmiore iam præſertim filij valetudine, conſtruxit. Sunt qui ſæculi huius anno ſeptuageſimo ſecundo Amadeum Moriennæ comitem filiæ ſuæ nuptias totamque ſucceſſionis ſpem Ioannis Regis Angliæ filio obtuliſſe narrent: ſed id, ſublato multo ante Amadeo hoc, fieri quomodo queat, non video: crediderim ab Humberto eius id factum filio. Otto Friſingenſis Amadeum hunc & Guilelmum Montisferrati marchionem Conrardi imperatoris auunculos appellat, ſed in errore eſt: Amadeus enim Conrardi auunculus non fuit,

ſed ex eadem cum eo natus proauia Adeli, quæ ex Humberto auum eius Amadeum, ex Othone autem Italiæ marchione Bertham, Conrardi auiam, genuit. Scribit Andreas Theuetus vidiſſe ſe in Bithynia, in quadam diuo Pantaleoni dedicata ſacra æde, Arthi Sabaudi ſepulchrum, illique Sabaudiæ comitem fuiſſe patrem: ſed quis hic fuerit comes, id ſibi, epitaphij literis pleriſque vetuſtate abolitis, non apparuiſſe. Ingens hac tempeſtate luporum, homines integros deuorantium, viſa per Galliam colluuies.



GERTRVDIS, *ſiue Geltrudis Lotharinga, Simonis Lotharingiæ comitis (ducem appellant alij) eo nomine (vti aiunt) decimi, & Geltrudis Saxonicæ, cui Lotharius imperator frater, filia, Iuditha, quæ Reginaldo Burgundiæ comiti Beatricem Frederici Ænobarbi imperatoris coniugem peperit, ſoror; quæ liberis caruit.*

GVIGO-



GVIGONIA *Albonia (Mathildes appellata aliis) Guigonis eius nominis ſecundi Albonij comitis Delphinique filia, quam Amadeus, Clara ſeu Clarentia Geneuæ comitis filia, quam ſe ducturum patri promiſerat, ſpreta, vxorem ſibi ſumpſit. Vnde graue inter eum & Geneuenſem comitem, ortum bellum, cuius quis fuerit exitus paulo ante oſtendimus.*

HVMBERTVS *patri ſuccedit.*

ALEXIA, *aliis Adelais. cui vir* ANDREAS *comes Angleriæ & princeps Mediolani.*

AVXILA *ſiue Alaſia nupta* HVMBERTO *comiti Belloiocenſi Gerardi filio.*

PETRVS. *eius pauci meminere.*

IOANNES, *qui valetudine minus firma fuit. Et huius rarior mentio.*

CONSTANTIA *vxor poſterior* BONIFACII *tertij marchionis Montisferrati.*

MAHALTA, *aliis Malfada, quam* ALFONSVS *Rex Portugalliæ primus vxorem duxit.*



SIBYLLA *Matiſconenſis, Vlrici comitis Matiſconenſis (Baſgeæ quoque nonnullis, qui eum comitatum Sibyllæ in dotem a patre datum affirmant) filia. Hanc tertiam Amadeo fuiſſe vxorem Franciſcus Roſiereſius author eſt: cæteri (vno dempto Hieronymo Henningeſio; cui Elias aſtipulatur Reuſnerus, qui Sibyllam Guigoniæ antedictæ fuiſſe ſororem. Guigoniamque ex Vlrico comite Matiſconenſi quoque natam autumant) eius non meminere. Induxit fortaſſis in errorem Roſiereſium, quod Amadeo quarto, qui longo poſt hunc tempore vixit, Sibylla Vlrici Breſſani & Baſgei comitis filia, vxor obtigerit. Meminit idem Henningeſius & quartæ coniugis, Clarentiæ ſcilicet Geneuenſis, quam repudiatam fuiſſe ait. Sed quæ Guilelmi Paradini hac de re fuerit opinio (cui nos ſubſcribimus) paulo ante demonſtrauimus.*

DE HVMBERTO EO NOMINE TERTIO.

MCXLVIII. AMADEO Humbertus eo nomine tertius filius, anno poſt natũ Dominum MCXLVIII. ſuccedit, qui Sabaudiæ comes fuit ſecundus. Is iuuenis licet, eam tamen ſui apud omnis ordinis homines præclara maiorum æmulatione, concitarat exſpectationem, vt quem allatus de exſtincto apud Cyprum Amadeo principe longe optimo ſuiſque cariſſimo, in mortalium pectoribus nuntius prouocarat dolorem, is ad ſolam virtutum, quibus inclareſcere ille ceperat, cogitationem mitigaretur. Vxorem primam Flandriæ comitis filiam, nullis ex ea procreatis liberis, cum amiſiſſet, tantum animo concepit mœrorem, vt vix conſolatione vlla leuari poſſe videretur: duorum tamen optimorum virorum, qui in rupem quandam ad Lemanum lacum (quam Arpeſiam appellant incolæ) arctius ſanctiuſque ibi vitæ genus profeſſuri, ſeceſſerant (ad quos ex Geneuenſis præſulis, viri integerrimi, conſilio, cum exiguo admodum comitatu ierat) ſuauiſſimo alloquio, vehementer admodum confirmatus, animi morbum illum, radices antequam ageret, depulit. Quin eam in eius pectore hominum illorum præclara monita habuere vim, vt exſtructo anno
MCXCIII. ſæculi eius nonageſimotertio eo ipſo in loco monaſterio, eoque amplis donato vectigalibus, monaſticam quoque ibidem vitam, in viginti monachorum, quos ex Ciſtercienſi accerſitos abbatia, ibi conſidere iuſſerat, ſodalitio, profiteri non erubuerit: donec poſt reuolutum demum annum ab eo vitæ genere, ad comitatus adminiſtra-

niſtrationem denuo, at perinuitus, retractus, ad alteras nuptias ſuorum rogatu animum cepit adiicere. Cæterum mortua, quam ex altera illa vxore procrearat filia Agnete, & paulo poſt etiam matre, ad priſtinum illud vitæ genus aſpirans denuo (altius enim in eius pectus quam quiſquam ratus, ſalutares illi ſanctiſſimorum eorum hominum ſermones deſcenderant) ſuorum nemine conſcio, in remotum quendam a mortalium conſortio locum (cui ad eundem lacum Lemanum ſito, Altacomba nomen) abit, vbi celeberrimæ illius diuæ Mariæ virgini dicatæ abbatiæ (cui a loco nomen inditum) iactis fundamentis, monachis aliquot ibi collocatis, ad eorum ſe vitæ inſtitutum aggregaſſet, niſi obſiſtentium clamore flagrantiſſimiſque victus precibus, ad ſuos denuo reuerſus, tertij matrimonij fortunam, liberorum quærendorum cauſſa, tentare ſuſtinuiſſet. Ex eo coniugio cum Thomas illi filius natus eſſet, in eo ipſo lacus Lemani aditu, gratitudini teſtandæ, diuæ Mariæ virgini & diuo Mauritio martyri monaſterium exſtruit, cuius penes Priorem (eo enim nomine huiuſmodi ædium ſacrarum præfectos appellari mos eſt) monachoſque aliquot, ex diui Petri Cluniacenſis ſodalitio vſque accerſitos, adminiſtrationem eſſe voluit. Ex Saracenica expeditione illa, qua Acris ciuitas (Ptolemaida nonnulli, Tameſim appellant alij) in Chriſtianorum venit poteſtatem, domum cum Philippo Auguſto Galliarum rege, reuerſus, in grauem lentumque ilico morbum incidit, qui vitæ tandem illi finem Domini anno MCCI. attulit. MCCI. Defuncti corpus in Altæcombæ, quod exſtruxerat monaſterio, conditum fuit. Humberto hoc Sabaudis

imperante Cantuarienſis archipræſul Thomas, vir ſanctis moribus, a neſariis aliquot ſicariis Henrico Angliæ rege, eius nominis ſecundo, conniuente, in Londinenſi vrbe anno MCLXXI. trucidatur, cuius ſceleris authores, Deo vindice vltoreque, grauiſſimas, quæ eorum etiam poſteros infamarunt, dedere pœnas. Hac ipſa tempeſtate, anno ſcilicet MCLXXXVII, Hieroſolymorum ſancta illa vrbs, per Chriſtianorum, qui eo in tractu erant, grauiſſima diſſidia, vndenonageſimo quam Godefridi Bullionij ſingulari virtute de barbaris recepta fuerat anno, ad VI. cal. Octobreis, Saladino Ægyptio, vix toto oppugnata menſe, dedita fuit, cum inſigni nota perfidiæ Raimundi Tripolitani comitis, qui ante quam prælium illud, Chriſtiano aduerſum nomini, quod vrbis ſacræ deditionem anteceſſit, committeretur, in turpem ſe cum milite ſuo fugam dederat: haud dubio poſtea rumore, quod cum barbaris clandeſtinum iciſſet fœdus, præſertim cum nocte ea, qua Tripolim, vrbem ſuam hoſti tradere cogitarat, ſubito, Deo ſceleris vltore, exanimatus, a veſpillonibus circumciſus repertus eſſet.



MATHILDES ſiue Mathildis (Gertrudem appellant alij) Theodorici Elſatij Flandriæ comitis ex Sibylla Andia (cui Fulco Hieroſolymorum rex, pater) filia, fœmina animi corporiſq; dotibus ornatiſſima, quæ conceptum imis viſceribus longo tempore dolorem, quod prolem nullam pareret, decoquere cum non poſſet, in ipſo ætatis flore, cum ſummo mariti ſubditorumque omnium mœrore & luctu deceſsit. Mirum eſt Ioannem Tilium, diligentem alioqui veterum familiarum inueſtigatorem Mathildis huius non meminiſſe.



Anna *Salingea Salingei in Germania ducis filia, ex qua procreatam filiam Agnetem, dum Henrici ſecundi Angliæ Regis filio Ioanni deſpondere pater Humbertus cogitat, & filiam, & matrem paulo poſt ipſam, non ſine ſupremo animi dolore amiſit.*

Agnes *moritur ſeptennis.*



Pernella *Burgunda, Burgundiæ comitis, cuius, incertum, filia, Auſtriæ ducis, cui proles duas pepererat, vidua, quam ad Sabaudicæ nobilitatis flagrantiſſimas preces, inuitus Humbertus uxorem duxit. Quis prior Pernellæ huius fuerit maritus, quis pater illi, nondum mihi compertum. Neque adduci poſſum vt Burgundiæ eam comitis filiam fuiſſe mihi perſuadeam. Verò ſimilius videtur, patrem eius Diuionenſem fuiſſe comitem, qui originem ſuam referat ad Othonem Guilelmum Diuionenſem comitem, qui quod a vitrico ſuo Henrico Burgundiæ duce adoptatus & ſucceſſor in ducatu fuiſſet inſtitutus, & dux ſimul & comes Burgundiæ aliquamdiu dictus fuit; donec Roberto tandem Galliarum rege Burgundiam imperio ſuo adiungente, ducatus titulo, comitis reſehico, abſtinere cogitur.*

Thomas, *Sabaudiæ comes.*

Eleonora. *cui mariti duo, comes Vintimilij & marchio Alpini.*

DE THOMA SABAVDIAE COMITE TERTIO.

Sabavdiae comitatum, Humberto mortuo, Thomas filius excepit, cuius, pueri adhuc, ætatem Burgundiæ

Burgundiæ comes, eius auunculus, regendam ſuſcepit: qui in Sabaudiam protinus profectus, & aliquanto ibi tempore hærens, imminentem Sabaudico ſolo tempeſtatem (fieri vti ſolet, vbi ad puerum, eumque orbum principatus aliquis deuoluitur) ſingulari vigilantia, optimi cuiuſque ex indigenis ad eam rem conſilio vſus, mortalibus omnibus vehementer admirantibus, diſcuſſit, ſuum ſororiſque filium in eadem habens cura.

Cæterum Thomas ætate iam factus grandior, Guidonem Geneuenſem comitem interceptum oppreſſumque, vna cum Beatrice eius filia, quam ad Philippum Auguſtum Galliarum regem, cui eam deſponderat, ille deducebat, capit: ducta autem (quæ iampridem, Thomæ comitis capta amore, in matrimonium hoc, inſciis parentibus, conſenſerat) puella, Guidonem, offenſior illi, ob negatam filiam, non ante dimiſit, quam Geneuenſem comitatum Sabaudiæ feciſſet clientelarem. Principatum Pedemontanum (ab expeditione illa, quæ aduerſus Albigeenſes, noua per Galliam Narbonenſem ſerentes paſſim dogmata, a proceribus pleriſque Chriſtianis fuit ſuſcepta, in Sabaudiam reuerſus) Sabaudico comitatui, ex diſſidio, quod, ſublata in vniuerſum Principum Pedemontanorum ſtirpe, inter eius prouinciæ populum ortum erat, capta occaſione, pro maiore parte, Pignerolo capta, Vigenoque & Carignana vi expugnatis, adiecit, Caſtellis autem propugnaculiſque, quibus gentem illam in officio contineret, varie erectis & præſidio munitis, populoque graui tributo leuato, & ſeditioſiſſimo quoque pecunia corrupto, occaſionem omnem rebellioni præſcidit. Et auxerat potentia, poſtquam Montiſ-

Montisferrati marchionem & Aſtenſem populum, Pedemontanis confœderatos, profligaſſet. Tandem cum aduerſus Pontificem Romanum, in Frederici eius nominis imperatoris ſecundi gratiam, bellum inuitus reluctanſque ſuſcepiſſet, tantum ex eo facto animi mœrorem, quem grauis protinus excepit morbus, contraxit, vt ingraueſcente paulatim malo, viuendi tandem finem faceret. Deceſſit Montcalerij (quam ipſam imperio quoque ſuo adiecerat vrbem) anno reſtitutæ ſalutis milleſimo ducenteſimo triceſimo tertio, & in marchionatu Seguſiano ad Auillaneum, in diui Michaëlis abbatia (cui diui Ambroſij fanum & Iauentium dono dederat) magnifico funere elatus, Amadeum filium reliquit ſucceſſorem. Vixit hac tempeſtate Ludouicus Sabaudus, qui cum Chriſtiani nominis hoſtibus pugnaſſe ſcribitur: ſed quis illi fuerit pater, hactenus inquiro. Sub hæc ipſa tempora, quidam, cui Odandrino nomen, vir militiæ ſtrenuus, quod eccleſiæ Romanæ cauſſam aduerſus Fredericum imperatorem eo nomine primum fortiter ſuſtinuiſſet, oppido Ferrarienſi (quod ipſum Mathildis comitis Mantuanæ, inſigni liberalitate, in eccleſiæ Romanæ venerat ditionem) à Gregorio octauo Pontifice donatur, primuſque ex gente Eſtenſi aut Ateſtenſi (vt quidam appellant) Ferrariæ renuntiatur marchio.

MCCXXXIII. al. XXIII.

D BEATRIX



BEATRIX *Geneuenſis Guidonis Geneuæ comitis filia, quæ Gallorum regi Philippo Auguſto pacta, Thomæ huic, patre inuito (paulo ante vti demonſtrauimus) nupſit.*

AMADEVS *comes eo nomine tertius.*

HVMBERTVS. *cum Chriſtiani nominis hoſtibus in Pruſſia pugnans Domini anno* MCCXXV. *interficitur.*

THOMAS. *vide infra ſuo loco.*

GVILELMVS *epiſcopus Valentianus.*

AMADEVS.

PETRVS, *Sabaudiæ comes.*

BONIFACIVS *epiſcopus Cantuarienſis.*

PHILIPPVS *Sabaudiæ comes.*

BEATRIX *Raimundi Berengarij Prouinciæ comitis (qui filias quinque, reginas omnes, peperit) vxor.*

MARGARETA *cui vir Hottomannus, alij Hermannus, comes Kiburgenſis, & filia ex eo Eliſabetha Eberardo Habſpurgenſi matrimonio iuncta: alij eam improlem anno* MCCLXXIII. *deceſſiſſe aiunt.*

ELEONORA *Azonis octaui Eſtenſis marchionis, vt nonnulli opinantur, vxor. Alij eius non meminere.*

DE AMADEO EIVS NOMINIS COMITE TERTIO.

THOMÆ Amadeus filius, eius nominis tertius, ætatis anno viceſimo tertio, ſuccedit, paternarum virtutum æmulus, & ſingulari admirabilique in ſorores fratreſque ſuos (quorum cauſſa bellum ſuſcipere haud eſt veritus) & viuo, & defuncto patre, pietate. Salaſſios Veragroſque Lombardiæ tranſpadanæ populos, maſculis hæredibus, Amadeo eorum tyranno fato functo, deficientibus, poſſeſſionibus ſuis, metu partim,

partim voluntate adiecit; victo cæſoque inſigni Petri fratris ſui virtute, quem ab Imperatore (qui vacuas ab imperiis prouincias, imperio acceſſiſſe affirmabat) acceperant, præfecto, homine moroſiſſimo inquietiſſimoque (qui miſſos ab Amadeo Romam legatos, captos, & in cuſtodia habitos, indignis tractarat modis) & Valleſibus ſuperatis profligatiſque. Cæterum ditionem Valeſianam, eccleſiæ Sedunenſi, ad diui Garini eius loci præſulis (quo diſſuadente repugnanteque populus hic bellum illi mouerat) preces, reſtituit, poſtquam eius aliquanto tempore imperio paruiſſet. Lugduno inde (quo, Cluniaco a ſalutato Pontifice rediens, ex itinere, vt Carolo diui Ludouici Galliarum regis fratri, Beatricis ſororis ſuæ, filiam collocaret, deflexerat) domum reuerſus, paulo poſt, ſæculi eius anno MCCXLVI. (quo ipſo anno & Reimundus Prouinciæ comes eius ſocer, deceſſit) imperij vero decimo & tertio, Bonifacio filio ſucceſſore relicto, vitam hanc cum meliore commutat, maiorumque ſuorum, in monaſterio Altecombano ſepulchro infertur. Guelphorum Gibellinorumque infeſtæ per Italiam factiones, quæ aliquanto iam tempore conquieuerant, Frederico eius nominis ſecundo Imperatore, eas denuo reſuſcitante, vehementer ſub hæc tempora recrudeſcunt, ſeminibuſque eius motus haud ferme vlla ciuitas intacta fuit. Guelphis Guelphus Bauariæ dux, Gibellinis natus in Gibellino oppidulo Henricus, hoſtes inter ſe infeſtiſſimi, ingrati mortalibus omnibus nominis dederant originem. Referunt annales priſci: Graui inter Guelphum ducem Henricumque Gibellinum, qui patrui ſui Conradi tertij imperatoris copiis præerat, MCCXLVI.

 commiſſo

commiſſo prælio, cum ſuperatus tandem Guelphus, in vrbem quandam ſuam ſe recepiſſet, in eaque obſeſſus, quas hoſti placuiſſet, deditionis conditiones accipere fuiſſet coactus, fœminas (quibus ſolis exitus conceſſus, permiſſumque vti quantum ex rebus ſuis maxime ſibi caris ferre poſſent, ſecum aſportarent) veritas ne in maritos ſuos victoris exercitus ſæuiret crudelitas, ſublatis in humeros maritis, chariſſima ſui parte, in hoſtium conſpectum (fide amoreque coniugali affectum erga res quantumuis precioſiſſimas, ſuperante) prodiſſe. Quam optimarum matronarum admirabilem in viros ſuos pietatem exoſculatus imperator, neque eam fraudem habens ingratam, recepto in gratiam Guelpho, reliquis omnibus ignouit.



A ɴɴᴀ *Albonia Guigonis comitis Albonij Delphinique Viennenſis, cui Andreas Delphinus pater filia, quæ Amadeo haud diu admodum iuncta, liberis caruit. Stephanus Luſignanus, Andreæ Delphini filiam, Beatricem autem Delphinæ neptem Annam fuiſſe affirmat. Crediderim ego, priorem Amadei vxorem (Annam quippe hanc alium habuiſſe maritum pleriqúe autumant) Lauram appellatam, prioreque matrimonio Ioanni comiti Burgundiæ & Cabilonenſi fuiſſe iunctam. In eam inducor opinionem, quod Ioannem Burgundum Lauram tertio ſibi connubio iunxiſſe, eamque Ioanni ſuperſtitem Amadeo Sabaudo comiti nuptam fuiſſe, conſtans ſcriptorum omnium ſit opinio. Neque enim temporis patitur interuallum, vt ad priorem aliquem poſterioremve Amadeum, noſtro hoc, has nuptias referamus. Fuere quidem Annæ ſorores duæ; Catharina nimirum Helenaque, ſed aliis elocatæ maritis.*



Cæcilia Raimundi Prouinciæ comitis filia, regio orta ſanguine, cuius pater Raimundus a priore vxore viduus, Beatricem Sabaudam Amadei huius ſororem vxorem duxerat. Eſt qui Raimundi eius nominis tertij Toloſæ comitis eam neptem fuiſſe ſcribat, natamque ex eius filia Beraldoque Elbenio Maſſiliæ dynaſta & Auraſiorum principe. Sed ego Paradinum ſequor, qui cum multis aliis in priore eſt opinione. Mathæus Paris author eſt Sabaudienſem quandam, Eleonora Henrici tertij Angliæ Regis vxoris (filia hæc erat Beatricis Amadei huius ſororis) cognatam, nuptam fuiſſe Balduino de Ripariis Deuoniæ comiti.

Bonifacivs *comes.*

Constantia. *Boneri Cabilonenſis, & inde Emanuelis Caſtellani, Alfonſi Cæſaris electi fratris, vxor. Sunt qui Bonifacij Montiſferrati marchionis eo nomine tertij coniugem fuiſſe ſcribant. Habuit quidem Bonifacius ille vxorem Sabaudam, ſed cuius ea fuerit filia, nondum mihi liquet, & vix vt Amadei huius fuerit fieri poteſt.*

Beatrix, *marchio Saluſſiarum nonnullis. pauci enim eius meminere.*

Margareta, *patris teſtamento (inquit Reuſnerus) ſacris deſtinata, Bonifacio nupſit marchioni Montiſferratenſi eo nomine quarto.*

Beatrix.

Eleonora.

DE BONIFACIO COMITE.

Sabaudiae comes quintus Bonifacius, Amadeo patre natus, fuit magna vi & animi & corporis, ſed contemnendis, quam cauendis hoſtibus melior. Qui haud dubie ætatis ſuæ principes omnes iis naturæ dotibus anteiſſet, ſi fortuna illi ſuper induſtriam non fuiſſet, & gloriæ auidior, ingentes ſpiritus, rationis circumſcribere potuiſſet cancellis. Commiſſo quippe, poſtquam ex Flandria, vbi Margaretæ comiti aduerſus rebelles filios opem tulerat, rediit, cum marchione Montisferratenſi

 atque

atque Taurinenſi Aſtenſique populo ad Taurinum (quam tum vrbem arctiſſima premebat obſidione, ſummaque vi oppugnabat) acri prælio, dum hoſtium, quos
*Riuollis. paulo ante ad *Rupellam profligarat, vires, ſuis longe maiores, ſtolide ſuperbeque contemnit, vna cum marchione Saluſſiano, iuuene impigro (quem vnum inter intimos, & ſuorum omnium conſiliorum habebat conſcium) capitur, Taurinumque abducitur: vbi cum indignum in modum haberetur, neque libertatis ſpes vlla appareret, fruſtraque Alexander Pontifex eo nomine quartus eius dimiſſionem vrgeret, adeo vt ſacris tandem Taurinenſibus interdiceret, ex animi mœrore, & quidem cum præbiti veneni ſuſpicione, Domini anno
MCCLVI. MCCLVI. vxore non ducta, decedit. Potuiſſet, mehercule, Taurino tum potiri, ſi aut in ſuis aut in alienis conſiliis, conſtantia illi fuiſſet. Verum vbi a viris militaribus perſuaſus non deſerendam obſidionem, prælioque abſtinendum cenſuiſſet; rurſus ne alienæ ſententiæ indigens videretur, in diuerſa ac deteriora, iuuenili præceps



abreptus æſtu, tranſibat. Sororem habuit ſibi ſuperſtitem, vnicam (vti ego opinor) Conſtantiam: ſed ea prætérita, Petrus eius patruus, ex communi fratrum (qui reuocata in vſum lege Voconia, fœminas ab eo imperio tanquam incapaces arcebant) decreto, principatum adiit. Defuncti corpus, magno redemptum ære, in diui Ioannis Maurienenſis ſacra æde

conditum

conditum fuit. Incidit in hæc ipſa tempora, diui Ludouici Galliarum regis aduerſus Chriſtiani nominis hoſtes, cum tribus fratribus, & ingenti aliorum hominum multitudine profecti, infelix luctuoſaque illa captiuitas.

DE SABAVDIAE COMITE PETRO.

PETRVS Sabaudiæ, atque Richemondiæ quoque, Henrici eius nominis tertij Angliæ regis (qui genitam ſorore eius Beatrice Eleonoram, vxorem duxerat) beneficio comes, Thomæ Bonifaciique comitum, illius filius, huius patruus atque ſucceſſor, princeps fuit bellica virtute clarus, & ob ſtrennue fortiterq. geſtas res paruus Carolus magnus vulgo appellatus. Taurinum, Bonifacij comitis indignam & Taurinenſium perfidia feſtinatam mortem vti vlciſceretur, graui prementi obſidione, per miſſos ad eam rem explorandam nunciatur ſpeculatores, rei frumentariæ penuria oppidanos hactenus haud laboraſſe (mirabatur quippe vnde tanto tempore arctiſſime obſeſſis, commeatus ſuppeteret) quod ſocij nauales ſupra ducenti, grandi illecti ære, paratum ad Padi fluminis ripam ab Aſtenſibus cõmeatum, doliiſque aliquot (quæ inter ſe concatenata iuſto libramento ita temperarent, vt ſuperfuſis fluctibus condita, neque ſubſiderent, imumve peterent, neque hominum paterent conſpectui) incluſum, Taurinum, pleriſque ſecundo ea flumine ſub aquis ad ſe trahentibus, protrudentibus autem a tergo cæteris, deportare eſſent ſoliti: vrinandi quippe periti homines illi, procul hoſtium conſpectu

ſpectu aquam ſubibant,occultoque lapſu ad vrbem vſque penetrabant,per fiſtulas tubuloſve quoſdam aërem haurientes. Quod cum viciſſim illi & per interualla, ne deprehendi fraus poſſet, facerent, facilè diſpoſitis per omnem ripam ſtationibus, quæ prætereuntes naues obſeruarent, impoſitum fuit. Illis enim exſtantium ſupra aquas fiſtularum huiuſmodi conſpectus, defixorum a piſcatoribus,quibus ſcaphæ alligarentur,palorum ſtipitumve, ex longinquo præbuit imaginem. Sed ea tandem fraude detecta, ſtrato protinus ſuper flumine illo ponte nauali,maximiſque,qua maxime flumen patebat (quæ modico inter ſe diſtabant interuallo) actis trabibus, importandæ in vrbem annonæ facultatem hoſti Petrus comes ademit.Quo facto cum in ſuam protinus poteſtatem locum cum toto illo tractu redegiſſet, de conſciis necis Bonifacij comitis, graue ſupplicium ſumptum fuit. Maxima præſentium curarum parte ad Taurinum (quam ille vrbem, aliquanto tempore poſt,ſummo imperatoris beneficio, ditionibus ſuis adiecit) liberatus comes, conuertit animum ad vindicandas iniurias eorum,quorum in Vaulxio ſolo a duce *Chophingemio agri vaſtabantur, pecoraque paſſim abigebantur.Erat is, quem non poſtremi inter Germaniæ proceres nominis principem, Imperator (Alfonſum hunc eſſe crediderim, cui de imperio cum Ricardo Anglo certamen erat)quod Salaſſios Veragroſque, imperio ſubiectum populum,cæſo quem ab anteceſſore eius acceperant præfecto, Sabaudis parere principibus Petrus comes coegiſſet, grauiter ferens, prouinciæ illi gubernatorem tum dederat: cui quod ad Vaulxium dominium ius

** Nonnulli Zarugia alij Zeringenſem appellant comitem.*

ius prætenderet, eorum locorum expugnationem cordi ante omnes futuram exiſtimabat: neque enim illi grauioribus tunc impedito negotijs bello illi vacare erat integrum: in Veragros itaque cum vniuerſis profectus copiis Sabaudus, Chophingemium, Chillonium, in Vaulxio tractu ſitam arcem, negligentius, & nulla caſtrorum ſeruata forma obſidentem, celeritate ſilentioque ſummis vſus, improuiſo opprimit, & milite eius fere omni cæſo, capit. Capti quoque cum eo Nydomei, Gruyerei & Alberchi comites, Granſſonique, Montfaulconi & Coſſonayi Montaignique dynaſtæ. Eo lætus ſucceſſu Sabaudus, Mondouio expugnato, Vaulxio mox, vniuerſoq. Auentico, & cæteris ad lacū Lemanum oppidis caſtelliſque omnibus (inter quæ Rhodonum & Iuerdonum) vi partim, partim deditione potitur. Inde captiuis omnibus ad ſe adduci iuſſis, ſingulari erga eos vſus clementia, omnibus ignouit, eiuſque, quod pro redemptione pendere debuiſſent, gratiam ea fecit lege vt Sabaudicis proceribus ſuam iureiurando obſtringerent fidem, illiſque fidos ſe obſequenteſque in poſterum clientes futuros promitterent. Chophingemius iuri omni quod ad Vaulxium agrū competere ſibi affirmabat, pro ſe poſteriſque ſuis, in Petri comitis eiuſque ſucceſſorum gratiam in perpetuum renuntiaret; Gruyereus & Alberchi comites, cæterique viri illi nobiles, iuriſiurandi, quo Chophingemio, Vaulxij dominij ergo, erant obſtricti religione, ſoluti eſſent. Vrebat vehementer comitem Geneuenſem tot clarus victoriis Sabaudus. Ex eius itaque in Angliam (Eleonoram reginam ſororis ſuæ filiam vti viſeret) profecti, abſentia, capta occaſione,

ne, ſparſo de morte eius (cuius ſe rei certa habere indicia paſſim iactabat) rumore, Vaulxium populum, quorundam ex nobilitate (quos donis promiſſiſque corruptos, in partes ſuas pertraxerat) ad eam rem vſus opera, ad rebellionem concitat, & Sabaudi præſidio caſtellis aliquot, in Geneuenſis ſoli ſitis confinio, deiecto, ſuum vti intromittant, author eſt. Arces habebat duas in Vaulxio tractu, Cleeſium nimirum & Roueum: qui in iis erant præfecti militeſque, magnam vndique locis finitimis, vti erat imperatum, intulere vaſtitatem, multoſque mortales cum pecore & alia præda, cepere, cæſis grauique affectis iniuria, quotquot ex Sabaudi ſubditis, negotij alicuius priuati cauſſa, iter illac facerent. Horum omnium apud Angliæ regem exiſtens, certior factus Sabaudus, Faxo, inquit, ſciat ſentiatque (ſi permittat Deus) Geneuenſis, viuere adhuc Sabaudum, impetratoque ab Anglo rege peditum millium quatuor pro menſibus ſex ſubſidio, in Sabaudiam, traiecto Oceano, continuatoque die ac nocte itinere, redit, aduentuſque ſui, præſentia haud opinata, præuenit famam. Diuiſo autem protinus milite, Cleeſium & Roueum, vno ſimul tempore, hoſtem vti diduceret, obſidet. Sed eius ſe paulo poſt obſeſſis voluntati permittentibus, de præfecto vtroque ſumptum ſupplicium, cæteris impune abire permiſſum. In Geneuenſis inde comitis agros tota belli conuerſa mole, cum inter Geiſium & Nyonem vicos prælio Sabaudus Geneuenſiſque inter ſe decertaturi viderentur, Burgundiæ tandem Matiſconenſiſque comitum (quorum ipſorum magnopere intererat eam controuerſiam componi) ſingulari ſtudio, pax inter eos facta

cta fuit, ea lege vt Sabaudo Geneuenſis, pro factis eo bello ſumptibus, ingentem pecuniæ repræſentaret ſummam, vtque captas paulo ante Cleeſium & Roueum arces Sabaudus retineret. Dimiſſo per eam pacem vtrimque milite, peramœno ad Lemanum lacũ loco vrbem, quam Margeſum appellauit, & arces ad hæc in Viennenſi ſolo quatuor, Voironam, ſancti Andreæ, ſancti Georgij, & ſancti Saphorini (quam diui Sampſonis appellant) Sabaudus condit. In Germaniam inde ad Ricardum Anglum, qui ſororis eius Beatricis filiam Sanciam, Eleonoræ Angliæ reginæ ſororem, vxorem duxerat, cuique de imperio cum Alfonſo rege Caſtellæ contentio erat (errat quippe Paradinus qui Alfonſum tum ſublatum, Ricardumque ſolum rerum potitum ſcribit; Ricardo enim Alfonſus ſuperſtes fuit) profectus, cum Sabaudiæ Mauriennæque intuitu fidem ſuam Ricardo tanquam imperatori obſtrinxiſſet, in Taurinos, Veragros, Salaſſios Vaulxioſq. plenum merumque pro ſe poſteriſque ſuis imperium ab eo obtinet. Miror Antonium Simphorianum (qui Sabaudiæ hiſtoriam Gallico conſcriptam idiomate ante annos octuaginta in lucem emiſit) ſcribere, Petrum hunc ab Ottone eius nominis quarto, beneficio hoc fuiſſe affectum: cum in confeſſo ſit Petrum anno demum ſalutis MCCLVI. ad comitatũ perueniſſe, Ottonem autem imperatorem multo tempore ante, ſæculi nempe illius anno decimo octauo mortalitate interceptum. In Sabaudiam ex Germania reuerſus Petrus comes, longo moleſtoque conflictatus morbo, anno tandem poſt natum Dominum MCC- MCCLXVIII.
LXVIII. in arce Chillonia, naturæ concedit, poſtquam

fratrem

fratrem ſuum Philippum, Roma vſque, vbi maiorem partem fuerat, accerſitum, hominem alioqui eccleſiaſticum, ſed nullis ſacerdotij euinctum inſignibus, bonorum ſuorum omnium & ipſius quoque comitatus inſtituiſſet hæredem: Cui, Antonini pij imperatoris (qui moriturus fortunam auream in principis cubiculo poni aſſeruarique ſolitam, ad M. Antoninum philoſophum ſucceſſorem, tanquam futuri imperij inſigne transferri iuſſerat) & Vitellij, qui imperij poſiturus inſignia, aſſiſtenti ſed aſpernanti conſuli, exſolutum a latere pugionem, velut ius necis vitæque ciuium reddidiſſe ſcribitur, exemplo, diui Mauricij annulum (quo a monaſterij quod in Veragris ſitum, cum populum illum Salaſſioſque fratris ſui imperio ſubiiceret, abbate fuerat donatus) hactenus apud ſe aſſeruatum, futuri imperij teſſeram ſymbolumque tradi imperauit, ea lege vt (ita enim facturum ſe promiſerat) eum ipſe geſtaret, & ſucceſſori ſuo geſtandum quamdiu viueret relinqueret, qui & quotquot poſt eum in Sabaudia eſſent imperaturi, eadem illa conditione vterentur, ita vt futuris deinceps comitibus omnibus inueſtituræ (ita cum vulgo mihi loqui liceat) inpoſterum ſeruiret loco. Scribitur idem olim & magnus quoque factitaſſe Alexander. Qui moriens, poſtquam interrogatus cui regnum relinqueret, ei qui optimus eſſet, reſpondiſſet, circumferens oculos, ex aſſidentium amicorum turba Perdiccam delegit, cui detractum digito annulum tanquam optimo & qui ſibi ſuccederet digniſſimo tradidit. Conſtantiæ filiæ ſuæ (nam qui improlem obiiſſe aiunt, mihi falli videntur) Guigoni Albonio nuptæ comiti, quam in comitatum

ſuccedere

ſuccedere ipſuſmet vetuit, (quod Salicæ id Voconiæque repugnaret legibus, quæ fœminas ab illuſtrium dominiorum arcent ſucceſſione) præter legata, ſed ea maxima ampliſſimaque, reliquit nihil. Iuſtiſſimum mitiſſimumque dominum nobiles iuxta ignobileſque luxere, editoque inducendis exequiis mœroris quodam certamine, maiorum in Altæcombæ monaſterio monumento intulerunt.



ELEONORA *Foulciguia ſeu Foucignia Foncignÿ comitis filia.* { CONSTANTIA. *aliis Beatrix, Guigoni eo nomine quarto Albonio comiti Delphinoq. Viennenſi nupta.*

DE PHILIPPO COMITE EO NOMINE PRIMO.

PETRO Philippus frater, Mauriciano donatus annulo, ſuccedens, gentile decus magno capeſſit animo, qui & Burgundiæ (vt quidam opinantur) ab vxore fuit Palatinus, pacis artibus quam militiæ maior & clarior, atque ad eam functionem perquam idoneus, ſi illi vitæ generi iam pridem, Lugdunenſi Valentioque epiſcopatibus, & aliis aliquot eccleſiaſticis conſpicuus dignitatibus (quas fiduciario omnes iure, Commendam

 appellant

appellant, poſſidebat) renuntiare viſus non fuiſſet. Statim enim vt ſanctius illud auguſtiuſque vitæ genus deſeruit, vxoremque duxit, omnia illi retro & in peius fluere cepere. Continua illi inualetudo cum eſſet, capta hinc pomœria ſua proferendi occaſione Bernates Friburgenſeſque, & quod (quia belli inſolens) armis non aſſueuiſſet, iniuriæ oportunus videbatur, cum Rudolpho Habſpurgenſi imperatore (qui Heluetiis bellum tunc, neque infelici ſucceſſu, intulerat) fædus faciunt, Sabaudoque loca aliquot, ſibi finitima, Partenacum arcem inter hæc, ab imperatore adiuti, adimunt. De qua iniuria grauiter apud Pontificem queſtus comes, cum per colloquij quod Lauſonij inter Pontificem Rudolphumque imperatorem habendum erat, occaſionem, Pontificem apud imperatorem cauſſam ſuam acturum ſperaſſet, nihil ab imperatore æqui reportare potuit. Quæ eum res vehementer torſit, morbumque auxit: quo decennio fere toto exagitatus, finem tandem vitæ anno ſalutis
MCCLXXXV. MCCLXXXV impleuit. Viuus bona ſua inter Thomæ fratris ſui filios, Thomam, Amadeum & Ludouicum partitus, Amadeum ætate medium, quem non pudendum pœnitendumve comitem Sabaudis fore cenſebat, Thomæ natu maximo, præclara eius indole, & amore, quod a pueris eum educaſſet, impulſus, prætulit, & in proximo ſibi faſtigio collocauit, Sabaudiæque comitem, etiam ſe viuo, Mauriciano illi annulo tradito (ne fratres ſcilicet eius aduerſus ſupremam hanc ſuam voluntatem, ſe mortuo, moliri quicquam poſſent) haberi, pecuniamque, eius quæ nomen præferret, cudi voluit: Thomæ autem quicquid eius auus patruuſque Petrus in Pede-

in Pedemontano occupaſſent principatu ; Ludouico baronatum Vaulxium & in Bieugeoiſio Veremoiſoque ſolo arces aliquot relinquit. Cæterum cum Thomam ætate priorem, pari nobilitate & hac etiam dignum fortuna, niſi Amadeus potior viſus fuiſſet, grauiter admodum ferre intelligeret, fratrem ſibi a patruo, quem neque verbo neque facto vllo vnquam læſiſſet, prælatum, ſupremis cauit tabulis, vt quicunque ex tribus illis fratribus donata ſibi parte non contentus, teſtamentum ſuum (iudicij ſui documentum) impugnare, fratribuſve illius ergo controuerſiam mouere ſuſtineret, omnibus, quibus a teſtatore donatus eſſet, priuaretur, eiuſque legatum caducum fieret. Mortem imminere ſibi videns denuntiari per præconem in Sabaudia Burgundiaque publice iubet, Si mortalium vllum, cuiuſcunque is ordinis aut conditionis eſſet, læſiſſet, aut debito inſcius fraudaſſet, is ad ſe venire ne grauaretur, curaturum, omnibus quam cumulatiſſime vti ſatis fieret. Supellectilem omnem, eamque pretioſiſſimam, & regia haud inferiorem (maximis quippe gratiſſimam ſibi familiam hanc imperatores regeſque & finitimi plerique proceres muneribus fuerant proſequuti) iis qui in egeſtate eſſent, Altecombanæ autem Abbatiæ (in qua maioribus ſuis vti iungeretur, ſepulturæ ſibi locum delegerat) veſtis eccleſiaſticæ varij generis ornatuſque, cuius ingens erat modus, plurimum legauit, annuoſque monaſterij illius prouentus vectigaliaque longe fecit auctiora. Defunctum fratris filij, egregie tum concordes, & proximorum certaminibus inconcuſſi, omnibus qui triſte funus comitabantur mærentibus, mærentes ipſi extulere, digni,

gni, profecto, tali patruo talique ſtirpe adoleſcentes.

De Amadeo proximo ſcribemus capite. Thomæ autem Ludouicique infra ſuo loco, cum de minoribus natu in gente hac agemus, plenior fiet mentio.



ALEXIA, ſiue Aliſa Merania (ſic eam appellat Paradinus) Burgundiæ comes palatina, Ottonis palatini Burgundiæ, Matiſconenſiſque & Viennenſis comitis (quem ex Frederico Ænobarbo imperatore ortum aiunt) filia hæreſque vnica, quæ in Hugonis Burgundiæ comitis (cui Othelinum, Hugonem & Stephanum filios pepererat) matrimonio cum fuiſſet, Philippo ſalutis anno M.CCLXVIII. nupſit. Elias Reuſnerus Aliſiam appellat, & Ottonis Meraniæ ducis filiam fuiſſe ſcribit.

DE AMADEO COMITE EO NOMINE QVARTO.

AMADEVS eius nominis quartus, comes octauus, Magni a corporis partim robore (cui par animus) partim a rebus præclare geſtis, ſortitus nomen. Thomæ Sabaudi (cui Amadeus eo nomine comes tertius frater) & Beatricis Fliſciæ filius, Sabaudici co-
MCCLXXXV. mitatus habenas anno MCCLXXXV. poſt Philippum comitem patruum regendas ſuſcipit: Baſgæo quoque & Breſſa vniuerſa (cui ſitum innexum Baſgæum) Sibyllæ vxoris beneficio potitur. Cum Geneuenſi comite Amadeo, Humbertoq. Delphino Viennenſi (qui Pedemontanum principem Thomam, per ſpeciem acceptæ a patruo, dum fratri ætate minori poſtponitur, iniuriæ, con-

citare

citare aduerſus Amadeum, at fruſtra, nitebatur) graue diuturnumque vario euentu, & alternante ſubinde fortuna, bellum geſſit, quo vix dum exorto, & in ipſis quaſi cunabulis Thomas princeps Pedemontanus, incorruptæ erga fratrem fidei, dum ſuos in inſidias, non procul a diui Andreæ fano, ab Humberto Delphino pertractos, a fuga fruſtra reuocare conatur, pugnans cadit, cum non leui gentis Sabaudicæ vniuerſæ incommodo atque detrimento. Multis enim præclaris animi corporiſque conſpicuus dotibus, & prælio ſtrenuus & cõſilio bonus erat. Gloriantem ea victoria Delphinum, cum metus, neque vanus is, inceſſiſſet, futurum, vti Sabaudus, cui magnæ erant copiæ, fraternæ vlciſcendæ necis cauſſa, arma in ſe verteret, illi auertendo bello, Geneuenſi comiti, vt Ludouici Sabaudi ditiones agroſque inuadat vaſtetque, author eſt. Non fefellit ea Delphinum ſpes: vt enim fratris ſui agros populari, vicos ædificiaque paſſim incendi, frumenta ſuccidi, prædas agi, eius ſubditos captiuos abduci, cædibus denique graſſari intellexit Sabaudus, niſi illata fratribus ſuis (quorum cæſus alter, alterius deſtructi vaſtatique agri) vindicata iniuria, enſe latus ſe cincturum negauit. Cum ſingulari itaque cura iniurias has vltum ire feſtinans, Geneuam cum militum non contemnenda manu, ſummo ſilentio ſigniſque occultatis, quam maximis itineribus poteſt, contendit, in hoſtileſque prius peruenit agros, Geneuenſi occupato inſeſſoque ponte (cui, vt tutum liberumque ex Sabaudia in Vaulxium ſolum fraternaſque ditiones, aditum haberet, quam rem magni certaminis futuram crediderat, præſidium firmum impoſuit) quam quid

ageretur, ſentire Geneuenſis potuit. Qui inopinato eius aduentu vehementer conſternatus (neque enim Delphinatu, niſi cædis fraternæ expetitis a Delphino pœnis diſceſſurum, prorſus ſibi perſuaſerat) in fugam ſe protinus, rebus ſuis deſperatis, dat. Sabaudus victoriæ ea ſe fuga hoſti confeſſionem expreſſiſſe ratus, caſtellorum aliquot (quibus de commeatu præſidioque abundè prouidit) expugnatione contentus (qua vna re intercludendi ſibi ad fraternas ditiones aditus, hoſti poteſtatem ademit) hoſtem perſequi deſtitit. Diu admodum ſtetit bellum hoc, maximoque ſubditorum vtrimque incommodo, dum vrbes aliquot vltro citroque capiuntur, ſpolianturque, agricultura iacet (vnde fames peſtiſque, vicina & cohærentia inter ſe mala, ortæ) geſtum fuit, donec per miſſos a Pontifice, Angliæ Rege & Burgundiæ duce legatos, facta tandem pace, controuerſia ea om-
MCCCXCVIII. nis ſæculi illius anno XCVIII. fuit ſublata. At non diu admodum ea pace gauiſi vtrimque ſubditi ſunt. Delphinus enim (qui ſua retinere priuatæ domus, de alienis certare, regiam laudem eſſe exiſtimabat) vbi Friburgenſes, quibus ſuppetias Sabaudus miſerat, a Bernenſibus prælio victos cognouit, nihil præſtiti paulo ante iuriſiurandi (quod haud diuturnum vinculum apud auidos periculorum, & decoris ſecuros) motus religione, bellum denuo per eam occaſionem, diſſuadentibus nequicquam amicis, renouat, grauemque in Sabaudi agros facit irruptionem. Deum obteſtatus Sabaudus vti ſceleris atque perfidiæ Delphini teſtis adeſſet, neceſſario copias parat, & in hoſtem ducit, Bellocombamque oppidum ex itinere, cæſis omnibus qui aduerſa ferebant

arma, expugnat, ſpoliat, euertit. Goncellinum inde (in eum ſe locum, non auſus dimicare fortunamque periclitari, Delphinus receperat) cum flexiſſet, fœcialem ad Delphinum mittit, periurioque & ignauia, quod ſe abſente terras ſuas inuaſiſſet, exprobratis, duelli illi, aut id ſi malit, concurrendi cum vniuerſis vtrimque copiis, conditionem defert. Abi, reſpondet ad ea Delphinus (infenſus Sabaudo æmulatione praua, quod eum violatione fidei maculoſum egregia fama anteibat) renuncia principi tuo, nõ in vnis corporis viribus hominis conſiſtere gloriam: ſi aliter ille exiſtimet, habere me tauros quamplurimos, qui longe hac in parte eum ſuperent. Ad vniuerſi autem prælij aleam ſubeundam quod attinet, ſi exercitus nunc illi ſit inſtructiſſimus, futurum propediem vt ego non minoribus inſtructus copiis, eum, vbicunque locorum ſit, ad internecionem perſequar. Statiua paucos ibi dies cum habuiſſet Sabaudus, vbi neque ab hoſte copiam pugnandi fieri, neque res ſuas diuturniorem ibi moram pati videt, quod re frumentaria pabulationeque ab hoſte intercluderetur, retro, vnde venerat, Barrauxia arce, quæ non multum in oppugnando præbuit moræ, ex itinere intercepta, deletaque, inſidiarum quæ parabantur ignarus, abit. Cæterum ad Siluetteum ſaltum cum perueniſſet, pecoris plurimum ſecum trahens, qui in iis locis clam a Delphino in inſidiis conditus fuerat armatus miles, vbi ille prætериiſſet, eiicit protinus ſe, extremumque carpens agmen, cædem maximam facit, cæteriſque in fugam actis, captiuos aliquot, amiſſæque prædæ bonam recipit partem. Celeriter ad Amadeum huius cladis fama perlata eſt: ſed cum lon-

gius iam progreſſum hoſtem ſe conſequi poſſe deſperaret, in cepto perſeuerauit itinere, bellum primo quoque tempore redintegraturus. quod haud dubie feciſſet, niſi Carolus Siciliæ rex Delphinum Geneuenſemque illi denuo, pace inter eos facta, reconciliaſſet. Oppidum erat ea tempeſtate non ignobile in agri Pedemontani ſitum confinio, Iurea: Inuream appellant alij, Eporediamque olim dictam aiunt. Hærebant in ea adhuc priſtinæ illius inter Guelphos Gibellinoſque factionis reliquiæ, pari viris fæminiſque obſtinatione in mutuas cædes ruentibus. Cædibus quippe ac incendiis graſſari, cognatis ac affinibus vltimam vim adferre, & ſacra denique non ſecus ac profana violare, fas eſſe putabant. Imo virtutis & gloriæ ducebant loco, ſi ad oſtendendum factionis ſtudium, maxime crudeles euaſiſſent. Tot tantiſque periculis quo defungi in vniuerſum ſemel tandem ciues poſſent, non alia melior viſa via, quam ſi in Amadei huius ex Sabaudia vſque accerſiti, ditionem poteſtatemque communi conſenſu concederent. Nam quam tollendo illi malo, dum Guelphi Philippum Moreæ principem (cui paternum genus e Thoma Sabaudo principe Pedemontano, mater ex Roberto Altiſſiodorenſi Græcorum imperatore erat) Montisferrati marchionem Gibellini, ſuæ quemque cauſſæ patronum ea lege, vt, principatus inter eos diuiſa poteſtate, alternis imperarent annis, deligunt, viam inierant, ea potius dum ſuperbe auareque nimis dati a principibus illis præfecti ius dicunt, malo facem prætulit. Noluit ſolus ea tyrannide potiri comes Sabaudus, ſed Moreæ principi (cum quo paribus populum illum regeret auſpiciis) illi ipſi, cuius paulo ante

memini-

meminimus, voluit communicatam, nullum inter datos ab vtroque magiſtratus diſſidium futurum affirmans, quod Moreus ſibi ſanguine proxime iunctus, vtriuſque autem ſubditi eiuſdem gentis nominiſque eſſent. Nec fefellit eum illa opinio: ſtatim enim vt communi vtriuſque edicto (gloriæ dominationiſque certamine inter eos ceſſante) ne quis factionum harum vllam in poſterum faceret mentionem, vetitum fuit, ſtudia partium fuere ſublata, & controuerſiæ illius memoria vna cum ingratiſſimo vtrique parti nomine, euanuit, vrbſque ipſa multis caſibus defuncta, longa pace cuncta refouente, ſub tutela Sabaudicæ manſuetudinis hactenus acquieſcit. His intento rebus, & in omnes curas diſtracto Sabaudo, nuntiatur Geneuenſem comitem, ex diuturniore eius abſentia capta occaſione, caſtellum quoddam, cui Gaillardo nomen inditum, ſummo ſtudio diligentiaque in Arui fluminis ripa, haud procul a Geneuenſi vrbe, condidiſſe, firmoque præſidio muniiſſe, vt quotieſcunque in Sabaudiam excurſiones facere vellet, tutus illi ſemper ad eum locum foret receptus. Eo accepto nuncio, domum, rebus Ireæ ex ſententia conſtitutis, properat, hoſtiſque exemplo, in Geiſij tractus confinio arcem, quam Marnalzum appellauit, ad finium ſuorum defenſionem, ſimul vt hoſtiles ex ea agros infeſtos faceret, admirabili celeritate exſtruit. Maximæ ex caſtellis hiſce editæ vtrimque ſtrages, donec Guilelmi Folicignij Geiſij dynaſtæ inſigni ſtratagemate, arx Marnalza capta deletaque fuit. Ad cuius acceptæ cladis rumorem, accurrens propere cum equitum manu Sabaudus, adeo in tempore venit, vt lætum inſolentem-

 que

que ea victoria hoſtem & præda graue agmen trahentem, opprimeret, antequam de aduentu eius quicquam ille reſciuiſſet: Foucigniano milite omni, pauciſſimis demptis, aut cæſo aut capto. Foucignio ipſi vix elabendi ſpatium ſuperfuit. Dum ad Marnalzum eo modo res geritur, Delphinus (qui in Sabaudi perniciem vna cum Geneuenſi comite videbatur conſpiraſſe) Sabaudi res orſus obterere, Robertum Mombelium Entremontij dominum, Sabaudi clientem, per Ioannem Albonium fratrem ſuum, magnis muneribus, & maioribus promiſſis ad ſtudium ſui perducit, efficitque vt exuto erga Sabaudum obſequio, fidem ſibi ſuam obſtringat, Entremontiumque ſuo beneficio poſſidere palam teſtetur. Grauiter eam tulit iniuriam Sabaudus, Mombeliique deteſtatus perfidiam, firmo validoque in finitimis Geneuenſi ſolo locis, præſidio relicto, Entremontiam arcem obſidet, & ita mox circumuallat, vt re frumentaria & pabulatione intercluſi obſeſſi, iumentis, equis, gliribus, felibus, canibus, & cæteris id genus impuris animalibus, quæ profana fædaque in vſum neceſſitas vertit, iam abſumptis, virgulta poſtremo & ſtirpes & internatas ſaxis herbas vellentes, Sabaudi ſe tandem, poſtquam nihil in Delphino præſidij eſſe intellexere, voluntati (neque enim alias ille deditionis conditiones admittere) permittere, & Entremontium illi regulum tradere cogerentur. Entremontio ad pedes ſibi abiecto, & pœnam multis lachrimis deprecanti, delicti illius Amadeus, qua erat indulgentia, gratiam fecit. Cuius ſuæ lenitatis cum tulit fructum, vt admirabili fidei obſtinatione forti in poſterum eius toto eo bello opera vteretur. Interea dum Entremon-

tremontiam artem Sabaudus obſidet, Geneuenſis (qui alium longe eius obſidionis exitum exſpectarat) hominum quorundã inquietorum (quibus cũ & cum Foucignio, affinitate fœdereque iamdudum ſibi iuncto, conſilia clam ſua communicarat) opera, in Geneuenſem vrbem intromittitur. Ea vrbs (obiter hoc dicam) ſoli loci epiſcopo (qui ipſus vna cum Geneuenſi comite, licet omnem is ſemper mouerit lapidem vt humeris iugum hoc ſuis excuteret, Sabaudi imperium reſpicere erat ſolitus) antiquitus paruit, neque comiti (cuius, late alioqui imperitantis, imperij fines, vrbis muris terminabantur) quicquam in eam vrbem iuris fuit. Diſplicuit vehementer factum hoc ciuibus cæteris, qui pro Sabaudo fidem & arma vſque ad ſupremum ſpiritum retinere obſtinati, Sabaudicis ilico prolatis ſignis, Sabaudicoque inclamato nomine, tantiſper dum Sabaudus (quem eorum quæ acciderant extemplo fecere certiorem) accurrit, vrbem fortiter, duce Ioanne Fillierſio equeſtris ordinis viro (qui ad omnia quæ agenda forent, quieta cum induſtria aderat) tuentur, & pulſis cæſiſque leui certamine, qui contraria ferre auſi fuerãt arma, reliquis, qui eius coniurationis inuenti conſcij, affineſque (Geneuenſi fuga iam elapſo) catenas iniiciunt, ſpoliataſque eorum ædes funditus euertunt. De illis ſtatim vt in vrbem venit Sabaudus, ſumpto ſupplicio, rediit oppidanis concordia. Cæterum arce quæ aliquamdiu reſtitit, paulo poſt expugnata, quotquot in ea inuenti, occidione omnes (ſolis demptis matronis aliquot, quæ ex vrbe in eam profugerant, quibus parcitum fuit) occiſi fuere. Pulſus quoque paulo poſt & loci fuit præſul, quod is

cum

cum Geneuenſi de eo in vrbem denuo introducendo, conſilia clam habuiſſe fuiſſet compertus, Rouuereumque (quæ eius parebat imperio arx) a Iacobo Quartio Chabloiſij præfecto, viro nobili, vi expugnatum direptumque fuit. Enimuero cum defuncto tandem Humberto Delphino, exſtinctoque paulo poſt Amadeo comite Geneuenſi, bellum quoque ſimul ſublatum finitumque crederetur, æterna nihilominus hæreditariaque quaſi, in liberorum animis paterni illius in Sabaudum odij manſere ſemina. Geneuenſi Guilelmus, Delphino Ioannes (cui Henricus præſul Metenſis, frater) filij, ſucceſſere, optimè inter ſe, maiorum ſuorum exemplo, concordes adoleſcentes. Bellum itaque coniunctis animis viribuſque cum redintegrarent, & plurima agro Sabaudico, ab ea parte qua diui Andreæ fanum eſt, inferrent mala, filio ſuo Eduardo, iuueni impigro, & cui par cum illis ætas, in Pedemontanum ſeceſſurus agrum, belli illius ſummam Amadeus committit, bono eum animo eſſe iubet, belloque & armis rempublicam attollere, ſibi pacem domumque curæ fore. Accipere paternum imperium Eduardus (cui principium illa militia fuit) & nobiliſſimo atque fortiſſimo quoque ex propinquis, clientibus & amicis euocato, haud temnendæ manus ductor, aduerſus hoſtem magna cum cura & mox gloria tendit. Quo (poſtquam dubio ancipitique aliquamdiu ad diui Andreæ fanum marte cum illo pugnaſſet) ſingulari ſua ſuorumque virtute, tandem profligato, victor diſceſſit, gaudente ſupra modum ad eius victoriæ nuncium patre, quod cunctis ſuper vota fluentibus, quam de filij ſui præclara indole, animo ſpem conceperat,

rat, ea quoque ſe haud fruſtratum videret. Varius belli huius ſucceſſus euentuſque fuit: & cum nunc hunc, nunc illum, nunquam diu eodem veſtigio ſtare ſolita fortuna, benignioribus oculis adſpiceret, neceſſe erat, vt deſtructis breui depopulatiſque miſere vtrimque agris, qui ſteriles neque fecundi ſatis per ſe, cum minore plerumque quod acceperant fœnore, reddere erant ſoliti, intentiſque alimentorum pretiis, plurimi indies fortunis prouoluerentur, & graui rerum omnium preſſi inopia, ſolum tandem verterent, donec eorum diuturnioribus moti malis calamitatibuſque, viri aliquot graues, & magni vtrimque nominis, inter quos * Tarenteſius archipræſul, Moreæ princeps, Guigo Allemanus Valbonnoiſi regulus & antiſtes Gratianopolitanus (qui docta elegantique oratione plurimum ad eam rem contulit) pacis parti vtrique fuere authores; quæ ipſis conciliantibus tandẽ cum coiiſſet, Guilelmo comiti Geneuenſi Agnes, Foucignio Maria, Sabaudi filiæ, núpſere. Non amplius biennio ea ſtetit pax. Delphinus enim (nam reliqui duo datam ſocero fidem violare, ſollicitante licet Delphino, nefas duxere) oblatam præter ſpem potiundæ Ambrunayæ (ad pontem Ainſium cum opulentiſſima abbatia ſitum oppidum hoc) occaſionem omni fide potiorem habuit. Monachi eo in monaſterio inter cæteros erant tres, ex Delphinatu oriundi, præter animum ad flagitia præcipitem, inimici antiſtitis ſui, comitis Amadei propinqui, viri ſanctis moribus integerrimaque vita, quod ab eo vitiorum ſuorum grauibus ſeriiſque verbis ſubinde admonerentur. Hi cum admoniti nihilo fierent meliores, neque reſipiſcerẽt, duriuſque idcirco ab Abbate,

Centrones appellant.

G iuxta

iuxta monaſterij præſcriptum legeſque haberentur, in hominis optimi, ipſi ſceleſtiſſimi, clam conſpirantes necem, ad rem atrocem animum adiiciunt. Delphinum itaque (cui ſe principi rem longe gratiſſimam facturos, ſi oppidum vna cum monaſterio illi traderent, haud erant neſcij) per ſpeciem inuiſendi parentes adeunt, multiſque illi verbis Abbatem hunc hoſtem illi eſſe infeſtiſſimum, ſiniſtroſque paſſim de eo ſermones cum non leui nominis eius ignominia ſerere, grauiterque ferre ſi aliter quis ſentiret aut loqueretur, odiſſe etiam, indigniſque tractare modis (cuius rei ipſi feciſſent periculum) quotcunque ex Delphinatu eo locorum commigraſſent, perſuadere conantur. Prouecti longius, Abbatem abbatiamque & ſimul oppidum ipſum, ſi præſidium acciperent, furtim tradituros ſe pollicentur. De Abbate, parum ſibi curæ eſſe, quæ nam eum fortuna, quiſve maneret exitus, reſpondet Delphinus: at oppidum ſibi ſi tradant, ſummi ſe beneficij id habiturum loco. Vbi aſperatum Delphinum, & poſſe Abbatem peruerti, ſatis hominibus illis facinoroſis patuit, in monaſterium ilico redeunt, intromiſſoque, ea quæ inſequuta eſt nocte, per auerſam monaſterij portam, quem a Delphino in eam rem acceperant, milite, Abbatem in ipſo ſacræ ædis veſtibulo (precibus enim matutinis pro recepto more decantandis, ad templum illo ipſo tempore properabat) comprehendunt, & ad multo ante præcogitatum reuoluti facinus, iniecto ceruici eius laqueo, ex feneſtræ cuiuſdam tranſuerſo tigno ſuſpenſum, nefariis manibus necant. Quo ſceleſtiſſimo patrato facinore, Delphini mox palam proferuntur ſigna, illius inclamatur nomen: faci-

noroſi

noroſi autem monachi illi monaſterij in ſe ſuſcepta protinus procuratione, in ſuam ſuorumque rem monaſterij prouentus omnes conuertunt, mirantibus mortalibus omnibus facinus adeo neſandum conſcio Delphino perpetratum. Et mirum me hercule erat, virum ea nobilitate ita temere vitæ profligatiſſimæ monachis fidem habuiſſe. Sed quid non deſignat ſuo nunquam contentus,& alieni appetens ſemper animus? Vtinam noſtro hoc deploratiſſimo æuo non eadem cæcitate plerique mortalium (eodem auaritiæ abrepti æſtu) laborarent, indignioraq. his committerent! Quam velim eorum ſemper animis illud Iulij Cæſaris obuerſari: Conſueſſe » deos immortales, quo grauius homines ex commuta- » tione rerum doleant,quos pro ſcelere vlciſci velint, iis ſe- » cundiores interdum res & diuturniorem impunitatem » concedere. Quanquam ad monachos hos quod atti- » net, non diu admodum tantum facinus tulerunt impune. Sabaudus enim, vt quæ ad Ambrunayum acciderant, intellexit, non contemnendam ilico, rei indignitate commotus,equitum peditumque eo miſit manum. Hi cum ſummo ſilentio & ſine ſtrepitu vllo iter facere iuſſi, Ambrunayo ſtatim vt in conſpectum venere, potiti ſunt, cæſiſque qui Delphini nomine locum inuaſerāt,comprehenſos monachos, totius huius tragœdiæ authores, & compedibus vinctos,ad eccleſiaſticum cui ſubiecti erant magiſtratum (ita imperarat Amadeus) puniendos ablegant. Grauiter factum hoc ferens Delphinus, ruptæ pacis culpam in Amadeum comitem, quod vrbem nihil ad ſe pertinentem,vi occupaſſet, conferre. Cum iis itaque quas apud ſe tum habebat copiis

in Verboyneos irruptionem facit, Mirebellumque arcem obſidet: qua deditione, an præfecti (quod quidam opinantur) proditione (aiunt enim ipſummet Delphinum proditionis paulo poſt ab eo exegiſſe pœnas) incertum, potitur tandem. Cæterum vbi Amadeum comitem, vtriuſque generi Auſtriæque ducis, & propinquorum ſuorum, Roberti præſertim Burgundiæ ducis (cuius filiam Blancam, Sabaudi filius Eduardus, vxorem duxerat) auxiliis confirmatum, maximas aduerſum ſe copias ducere intellexit, in Delphinatum eueſtigio, arce illa reſtaurata, validoque munita præſidio, & commeatu in eam ſubuecto, traiecto rurſus Rhodano, rediit. Admirati ſubitum hoſtis diſceſſum Sabaudus ſociique proceres, eiuſque, quod hoſte non viſo, in fugam ſe dediſſet deteſtati ignauiam, diui Germani fanum (in Bieugeoiſii ſoli ingreſſu ſitum oppidum, peropportunum ex Breſſano agro in Sabaudiam ire volentibus) exercitu in eas oras ducto communi conſilio obſident: ſed cum longam obſidionem, magno ſibi ad cætera impedimento viderent fore, neque ita facilis eſſet expugnatio (quod Delphinus quæ parabantur a perfugis edoctus, de iuſto præſidio, re frumentaria, cæteriſq. ad diuturniorem obſidionem tolerandam rebus neceſſariis, abunde oppido proſpexiſſet) ſtratagemate quodam vti conſtituunt. Obſidionem itaque præter obſeſſorum ſpem opinionemque ſoluunt, & quaſi ad Languienum oppugnandum totis caſtris properarent, præ ſe ferunt. Cuius rei per ſpeculatores certiores facti obſeſſi, oppido illi vt ſuccurrerent, breuiore itinere ac per tramites occultos, hoſtem præuertendum rati, diui Germani relicto fano, Lan-

guienum citato feſtinãt gradu. Sabaudus quod volebat, conſecutus, conuerſo opinione citius itinere, diui Germani fanum repetit, obſeſſumque aliquamdiu locum (fruſtra qui egreſſus paulo ante fuerat, regredi conante milite) vi capit, non ſine ſuorum (fortiter ſeſe tuentibus oppidanis, qui ad vnum cæſi omnes) inſigni ſtrage; arcemque, quæ aliquamdiu adhuc tenuit, præfectus, a commeatu inſtructiſſimam licet, quod militem fere omnem amiſiſſet, dedere tandem coactus fuit. Admiranda profecto militum eo ſæculo erga duces fuit obſeruantia, ingens obſequium. Oppidum vi licet miles, & quidem cum graui ſuorum occidione, cepiſſet, & in prædam ſibi idcirco dari non iniuria depoſceret, a ſpoliatione tamen, quod ita Sabaudus cæterique proceres (quibus durum videbatur, cum cæſis oppidanis propemodum omnibus, nulla fere eo in oppido vacua a luctu domus eſſet, grauioribus miſerum populum calamitatibus premere) miſſis per vrbem præconibus imperarent, abſtinuere. Graui quoque edicto, pluribus paſſim per vicos plateaſque erectis crucibus, matronarum virginumque pudicitiæ, (cum ſempiterna eorum principum laude) conſultum fuit. Neque militum fuit quiſquam, qui vel abiectiſſimo ſcorto vim inferret. Amberieuo inde oppido vi quoque expugnato, maximis, qui ſubſidio venerant, donati muneribus, ad ſuos rediere. Vehementer vtriuſque oppidi amiſſione conſternatus Delphinus, Guigone filio, & bonorum ſuorum omnium, & inueteratiſſimi ſimul illius aduerſus gentem Sabaudicam odij, ſucceſſore relicto, ex animi mœrore paulo poſt decedit. Annus iam aderat Domini milleſimus trecenteſimus & MCCCIII.

 quartus,

quartus, quo, cum Philippo Galliarum regi ingens aduerſus Flandros (qui memorabili illa de Gallis ad Cortracum parta victoria, ferociores, induciarum, quas cum rege fecerát ſecuri, in bello nihilominus perſeuerabant) exercitus eſſet educendus, vt quas Sabaudus Delphinuſque in mutuam perniciem inſtructas multis iam annis habebant copias, iis eo bello vti poſſet, omni ille ſtudio inter eos vti pacificaret, laborauit. Qua tandem procurata pace, & milite vtrimque dimiſſo exauthoratoque, equitatus omnis, & peditum magna manus ad eum protinus tranſiit, adeo vt ſupra trecenta hominum armatorum millia, in exercitu ſuo Gallus (ſi veri annales) haberet. Copiarum quas Gállo Sabaudus auxilio miſit, Eduardum filium (quem equeſtri paulo poſt gladio rex Gallus cinxit) præfecit. Cuius cæterorumque procerum, qui ſubſidio venerant, ſingulari virtute, victoriam tandem, dubio ancipitique aliquamdiu licet prælio, de Flandris rex reportauit, cæſis millibus ſupra triginta, & plurimis captis. Intoleranda eo tempore pleroſque ſitis in regio exercitu exſtinxit: Antiſſiodorenſem comitem inter cæteros. Flandris in vniuerſum tandem debellatis, dona amicis cæteriſque qui ſubſidio venerant, pro cuiuſque merito, rex dedit. Eduardus in Sabaudiam rediit. Sunt qui ſcribant, Amadeum hunc eiuſque ſucceſſores hæredeſque ab Henrico Luxemburgenſi imperatore, quod ipſe maioreſque eius imperatorio orti ſanguine, ita de imperio meriti eſſent, quodq. in Italiam euntem imperatorem per ditionis ſuæ fines conceſſo tranſitu, regio vbique apparatu, in omnibus imperio ſuo ſubiectis locis, excepiſſet, & Berna vſque, Romam, eius coronatio-

nem

nem auguſtiorem ſua præſentia vti faceret, deduxiſſet, imperij in Aſtenſi oppido renuntiatos principes. Cæterum quia ſæculi illius anno * decimo, ipſo Aſſumptioni MCCCX. virgineæ feſto die, Amadei huius vnius potiſſimum virtute fortitudineque, Rhodus inſula in Chriſtianorum *al.* VII. *al.* VIII. *al.* IX. venit poteſtatem (in qua ad annum vſque MDXXII. quo, toties fruſtra Turcis petita obſeſſaque, a Solimano tandem per vim capta fuit, perſeuerauit) & Magni meruit nomen, & vt Sabaudiæ inſignia, quæ eadem & imperij erant (Saxoniæ ducum, ex quibus Sabaudici orti proceres, inſignibus interſtincta hactenus) ſcuto equitum Hieroſolymitanorum ſodalitij Ioannitani, cruce ſcilicet argentea in rubri coloris clypeo, ipſis petentibus equitibus (qui Rhodo ab imperatore Conſtantinopolitano donati tum, Rhodij ab eo tempore equites dicti fuere) in nauatæ virtutis præmium decorarentur, vtque ædibus, quas Lugduni ſitas habebant equites Templarij (quorum funditus ea tempeſtate exſtirpatorum, iure ne an iniuria variant annales, bona Ioanniranis ceſſere) ab eius ſodalitij præfecto donaretur. Errant grauiter quippe, qui Amadeo eius nominis ſecundo per Sabaudiam imperante, Rhodum captam, cæteraque, quorum meminimus, contigiſſe aiunt. Ortum ab Rhodi hac expugnatione ſymbolum illud quadriliterarium FERT. Sabaudicæ ab eo tempore familiæ proprium manſit. Variæ ſymboli huius traduntur interpretationes, & pleræque prorſus abſonæ: veriſſima illa, qua FORTITVDO EIVS RHODVM TENVIT, eo ſignificari plerique autumant. Auenionem poſt collocatam Leopoldo Auſtriæ duci filiam ſuam Catharinam profe-

ctus:

ctus vt genero ſuo imperatori Conſtantinopolitano ſuppetias aduerſus Chriſtiani nominis hoſtes procuraret, ſæculi eius anno XXIII. idibus Octobribus decedit, MCCCXXIII.
& in Altecombano monaſterio ſepelitur. Scribitur Amadeus hic quod ſex illi vxorique eius vno eodemque tempore per nocturnam quietem viſi infantes, qui flexis Deum orabant genibus vt comitem Sabaudum eiuſque vxorem, ſobolis compotes facere dignaretur, in Cluniacenſi monaſterio ſex infantium, qui pro Sabaudiæ principum ſalute ſtatas perpetuaſque Deo dicerent preces, inſtituiſſe collegium, cui peropimos annuos conſtituit prouentus. Singulari quippe diuini numinis diſpenſatione accidiſſe ſibi perſuaſerat, vt ſibi ſuæque vxori infantes illi apparerent, præſertim poſtquam vxorem ſuam, ſterilem hactenus, grauidam ex eo tempore factam cognouit. Eius collegij (cui CONVENTVS SANCTVS, quod etiamnum hodie obtinet, inditum nomen) legibus cautum inter cætera fuit, vt ſimul atque aliquem ex hiſce infantibus, tale quid quod caſtis innocuæ illius ætatis moribus repugnaret, & malitiæ præ ſe ferret ſpecimen, deſignare contingeret, illo moto, alius protinus in eius ſubſtitueretur locum. Cautum quoque, vt, eorum infantium aliquo, ea ætate ex luce hac decedente, non aliæ in æde illa ſacra, in qua ſepeliendus eſſet, dicerentur preces, quam quas diuis Innocentibus feſto die cani conſuetum eſt. Videtur Amadeus, ſi verus Paradinus, filium quoque habuiſſe Ludouicum. Scribit enim Amadeo eius nominis ſexto, ex Amadei huius filio Amadeo nato, patruum fuiſſe Ludouicum & ſimul tutorem, eumque deceſſiſſe paulo poſt Amadeum quintum

tum fratrem ſuum. ſed labitur ille, & eorum quæ paulo ante vere dixerat, haud meminiſſe videtur, Ludouicum nimirum Amadei ſexti tutorem, Amadei quinti (ſexti patris) fuiſſe cognatũ, patruelem ſcilicet, & ex Ludouico Vaulxio natum. Sunt qui tertiam Amadeo huic aſſeribãt vxorem, Delphini ſcilicet Viennenſis filiam: ſed mihi ea de re compertũ nihil hactenus. Referunt Hollandiæ annales dignam (meo iudicio) quam obiter hic aſſcribamus rem. Imperabat ſub hæc ipſa (inquiunt) tempora per Hollandiam Florentius eius nominis quintus, is ipſus quem Gerardus Velſius, inauditi antea facinoris, cum Ghysberto Amſtelio, Hermannoque Woerdeno ſocero, ſocietate inita, per inſidias captum, & viginti vnoque confoſſum vulneribus, infami parricidio trucidauit. Hic variis crebriſque cum Friſiis Flandriſque commiſſis prælis, cum nobilitatis meliorem amiſiſſet partem, & pleroſque etiam grauis, quæ per ea tempora graſſata fuit, peſtis ſuſtuliſſet, optimum atq. opulentiſſimum quemque in Hollandico agro, ex eo hominum genere qui rem tractabant ruſticam, conquiri præcepit. Singulorum inde moribus facultatibuſque ſpectatis, ſecreuit a vulgo, quorum virtus opeſque eminebant: Quadraginta hi fuere, nouæ nobilitatis ſeminario deſtinati. Hos ipſo Dominico natali feſto die, ſub ſalutis annũ MCCXCV. Hagamcomitis, in regiam adduci iuſſos, poſtquam communicatis conſiliis, liberaliter accurateque adhibitos ſolenni conuiuio habuiſſet, remotis tandem epulis, in equeſtrem cooptauit ordinem, qui honoris ampliſſimus gradus, clypeoque (quod acceptæ nobilitatis, quam in poſteros transfunderent, eſſet inſi-

gne) donauit. Admonitos deinde, quando in id faſtigium recepti eſſent, vt obliti ſtatus, quem ſuo beneficio exuiſſent, præclaris in poſterum, & dignitati quam obtinerent conuenientibus animum intenderent actionibus, dimittit. Magnam ea res comiti, apud eos in quorum familiis vetus nobilitas, (qui in contumeliam factum hoc accipientes, mancipiorum eum paſſim deum appellabant) inuidiam conflaſſe ſcribitur. Quaſi vero vlla exiſtat nobilitas, quæ non ab huiuſmodi aut his non abſimilibus paruis exilibuſque initiis, & olim apud Romanos rerum dominos (cum Fabij, Lentuli, Cicerones, Piſones ex agris ad imperia vocarentur) & hoc noſtro maiorumque noſtrorum æuo per virtutem (in cuius actione illa conſiſtit) ortum habeat. Legimus, magnum illum Alexandrum Macedoniæ regem, cum Alexandriam vrbem in Tanais amnis ripa condidiſſet, incolas nouæ vrbi dediſſe captiuos, quos, reddito pretio dominis, liberarat, quorum poſteri (inquit Quintus Curtius) nunc quoque nondum apud eos, tam longa ætate, propter memoriam Alexandri, exoleuerunt. Præclare mehercule Cicero, cum cognomen ſuum (vt Hadrianus Iunius, vir raræ reconditæque eruditionis, author eſt) ob ciceris leguminis vilitatem, faſtiditum atque inuiſum intelligeret, amicis aliud ſumendum ſuadentibus, reſpondit, ſe nomen Ciceronis longe redditurum illuſtrius, quam vel Catonum, vel Catulorum, vel Scaurorum. Quæ cum primis illuſtres apud Romanos familiæ erant. Quare grauem mihi hominum (quos in nobilium album a Florentio comite relatos oſtédimus) poſteris iniuriam feciſſe videtur, quiſquis hiſtoriæ huius

author

author eſt, quod eorum ſimul nomina non ediderit. Omiſſum id fortaſſis ab eo, ne tam vilia prodendo exordia, eorum animos offenderet. verum meminiſſe debebat, eadem fere (vti diximus) vbique gentium veræ nobilitatis, & quæ virtutis præmium ſit, rudimenta cunabulaque eſſe, & humili obſcuroque, aut ſaltem minus generoſo loco ortos, ſtirpis ſæpe ſuæ propagini & ex ſe genitis virtute partum generoſum (inquit idem Iunius) nomen & titulum, quaſi tranſcriptum relinquere. Sed natura mortalium hoc quoque nomine praua ſiniſtraque dici poteſt, quod maiorum noſtrorum (quos æmulari aut nolumus aut non poſſumus) tædium nos capiat, & quo degeneramus magis, longiuſque ab eorum integritate, ſimplicitate, candore, fide, cæteriſque quibus claruere, nomenque ſibi atque ingratæ poſteritati peperere, emigramus virtutibus, eo magis eorum nos, qui vmbram virtutis potius, quam virtutem ipſam amplectimur, pudeat pœniteatque. Quanquam non poſtremas ego inter familias nobiles tenere exiſtimem, qui ab illis genus ducentes, ſuamque ad eos originem referentes, per tot annorum ſpatia (trecenti enim & amplius effluxere anni) nominis ſui claritudinem, nulla degeneris affinitatis ſordidæve functionis intercurrente labe, queant extendere.



SIBYLLA *Breſſana Vlrici Breſſani & Baſgei comitis filia. Qui comitatus per matrimoniū hoc in familiam Sabaudicam tranſiere. Sibylla hac Breſſani comitatus pomæria Lugdunum Sauoiamque vſque protuliſſe ſcribitur.*

EDVARDVS. } *comites.*
AMADEVS. }

ELEONORA *(Conſtantiam appellant alij) Gulelmi Cabilonenſis Altiſſiodorenſis & Tornoduri comitis vxor, cui Ioannam filiam peperit, quæ Roberto, Roberti Burgundiæ ducis filio tertio genito nupta, Tornoduri eum fecit comitem.*

MARGARETA *Ioanni marchioni Montiſferratenſi, qui ad ſtirpem Aleranam originem ſuam referebat, nupta fuit.*

AGNES, *cui vir Guilelmus comes Geneuenſis.*

IOANNES. } *horum duorum pauci meminere.*
BONA. }



MARIA *Brabanta, Ioannis Brabantiæ ducis eius nominis primi & Margaretæ Flandræ, (cui Guido Flandriæ comes pater) filia, Margaretæ, quæ Henrico Luxenburgenſi Domini anno* MCCXCII. *nupſerat, ſoror.*

MARIA, *cui vir Hugo regulus Foucignij.*

CATHARINA, *Leopoldo Auſtriæ duci Baſileæ Domini anno* MCCCXXIII. *nupta.*

IOANNA *ſeu Iana, vxor Andronici Palæologi imperatoris Byzantini, fortaſsis Andronici iunioris: ſenior enim iunioris auus Iolandā Montiſferratenſem habuit vxorem, ex qua natus Theodoricus, cuius filia Iolenta Amadeo Sabaudiæ comiti, Amadei huius filio, vxor fuit. Sed & iunior aliam quoque habuiſſe ſcribitur vxorem, Annam nimirum Alemannam: Fortaſsis aut huius, aut illius Andronici altera fuit vxor. Emanuelis enim, ſenioris filio & iunioris patri, Maria Armeniaca nupta fuit.*

BEATRIX, *cui vir Clarentiæ in Anglia dux. Sed quis hic Clarentiæ dux fuerit, mihi non liquet. Leonellus enim, qui id temporis vixit, vxores habuit duas, ſed alias ab hac. Eſt qui ſcribat eam vxorem fuiſſe alteram Caroli Roberti Hungariæ Regis Caroli Martelli filij: ſed in errore verſatur: Beatrix quippe illa filia fuit Henrici ſeptimi imperatoris.*

BLANCA, *Galeacio ſecundo Mediolani nupta principi.*

DE EDVARDO SABAVDIAE COMITE.

EDVARDVS Sabaudiæ comes nonus, Amadei proxime antepoſiti, cui, diui Mauricij, anno poſt natum Dominum MCCCXXIII. menſe Octobri, accepto annulo, ſucceſſit filius, ita ab adoleſcentia vitam inſtituit, vt auo patrique (vt erat acri atque impigro ingenio) in omni virtutum genere ſimillimus euaderet. Magna in eo militiæ (cuius exercitium cæteris omnibus præferebat) erat ſcientia, cui clementiam ſummam coniunxerat, hoſti qui ſtrenue rem geſſerat, ingentem ab eo cladem accepiſſet licet (quod in Seſſainſiæ arcis apparuit expugnatione) parcere glorioſum ſibi ducens. Liberalitatis (qua nulla dignior magno principe virtus) vſque adeo erat amans, a prodigo parum vti abeſſet. Cui rei modum nullum cum faceret, excederentque longe annuos eius prouentus, maximi, quos quotidie faciebat ſumptus, ſubditum ſibi populũ ſolito longe maioribus tributis vti premeret, neceſſe omnino fuit. Hugonem Foucignium, ſororis ſuæ Mariæ virum (cui iuuenili temerarioque conſilio, cuius ſolam dominandi libidinem cauſſam habebat, nunquam ab eo læſus, arma intulerat) præliis aliquot, eo præſertim, quod ad Alingeſium Sabaudo tum parentem arcem, quam Delphinus obſederat, commiſſum, cum ſuperaſſet, maximaſque eius ſubditis, Montforchieria & Seſſainſia deinde (quæ Geneuenſis comitis imperium reſpiciebat arx) inter cæteras expugnatis, Beaugeſioque (quod Foucignius paulo ante caſtellum inuaſerat) recepto; & Lucingeo MCCCXXIII.

oppido

oppido vna cum arce vi capto, clades intuliſſet, acri tandem ad Varciam (Montem Mortarij appellant alij) commiſſa pugna, in qua & ſtrenui militis & boni imperatoris officia ſimul exequebatur, cladem inſignem accipit, exercitu prope vniuerſo, quem, hoſtilibus contemptis viribus (quæ cōpiarum, quas Guigo Delphinus, Guilelmus Geneuæ comes, cui Amadeus filius ſucceſſit, & Hugo Geneuenſis, Guilelmi comitis frater, adduxerant, acceſſione, maximum acceperant incrementum) vinci non poſſe, (minus iam cupiditatibus ſuis, inter obſequia fortunæ, temperans) ſibi perſuaſerat, deleto profligatoque, ducibus aut captis (in quibus Robertus Burgundus Antuſiereſij comes & Beauieuſij regulus cum Amadeo Challanno, Fenicis in Pedemontano ſolo domino, cuius magna apud Sabaudum erat authoritas) aut cæſis. Captus quoque ipſuſmet Eduardus fuit comes: ſed accurrentibus protinus, ad Guilelmi Bourgij (quem equeſtris ordinis virum longa ætas gnarum militiæ fecerat) clamorem, Hugone Bozeleſio, nobili & impigro iuuene, Guilelmi filio, Entremontioque regulo, hoſtibus eripitur, nequicquàm iis qui manus illi iniecerant, Alberti Suſſonnagéi, (qui haud procul aberat) miſſo tubicine, auxilium implorantibus: Ille enim prælio alibi intentum ſe, neque diſcedere inde poſſe ſimulans, ſeruatæ olim ab Eduardo vitæ ſibi beneficium, ſimili beneficio compenſare voluit. Ad Galliarum enim regem a Delphino miſſus legatus, cum interfecto in regis conſpectu Ægreuilleo, regij palatij præfecto, in præſentiſſimo vitæ periculo verſaretur, Eduardi, qui tum forte fortuna aderat, precibus ſupplicio ſubtractus fuit.

I 2 Apparet

Apparet hinc, nullum male collocari beneficium, quod in homines probos & virtutis amantes confertur: & vt nihil tam firmum, cui periculum nō ſit, etiam ab inualido, ita quoque mortalium nullum eſſe, cuiuſcunque demum is fortunæ conditioniſve ſit, qui non aliquando vel maximo potentiſſimoque principi vſui eſſe & laboranti ſuccurrere poſſit. Quod diuini haud dubie Numinis ſingulari prouidentia diſpenſationeq. accidere ita ſolet, ad mutuæ hominum inter ſe ſocietatis conſeruationem. Hugoni Geneuenſi Vareia illa parebat arx, quam obſeſſam ſibi proculdubio ſubieciſſet Eduardus, & gloriæ prædæque plurimum partum fuiſſet, ſi felicitati ſuæ frænos imponendo, aut gloriam cum modo, aut prædam cum cura habuiſſet, neque decem dierum, àd extremas iam redacto anguſtias hoſti, vt, ſi interea temporis non ſuccurreretur, arcem dederet, conceſſis induciis, ſuæ ſibi cladis, accurrente ad ſoluendam obſidionem cum magna hominum multitudine Geneuenſi, ipſemet author fuiſſet. Cæterum dum Britanniæ Burgundiæque ducum generi ſocerique implorata ope, nouum denuo abluendæ prioris ignominiæ labi, exercitum inſtruere parat, in Pariſienſi ecce vrbe (quo, vt a Gallo quoque rege auxilia accerſeret, fuerat profectus) mœrore, quem, ob rerum paulo ante præclare geſtarum gloriam aduerſo eo prælio defloratam, animo conceperat, conſumptus, Domini anno MCCCXXIX. moritur, maiorumque ſuorum MCCCXXIX. in Altecombæ monaſterio ſepulchro infertur. Talis eos plerumque manere ſolet exitus, qui, quietis ſaturi, bellum, ſuis confiſi viribus, temere, animi ſolummodo oblectandi cauſſa, aduerſus eos ſuſcipiunt, a quibus neque

laceſſiti

laceſſiti neque læſi vnquam fuere. Acerrime quippe deſinere plerumque ſolet, facile quod ab iis, qui quo plura habent, acrius quæ non habent cupiunt, & ſatietate famem (vt quidam ait) parant, ſumitur bellum; Deo nimirum pacis omnis authore, oppreſſorum per iniuriam, patrocinium in ſe ſuſcipiente. Prudenter mehercule populus Romanus vti illatas ſibi iniurias bello acerrime perſequi ſolebat, ſic nũquam ſine cauſſa, nec fere niſi prouocatus, arma aliis inferre conſueuit. Libet obiter rem hic aſſcribere, quæ ſub hæc ipſa incidit tempora, cognitione profecto haud indignam: vnde talium auido lectori appareat, quam ſint hominum plerorumque, etiam doctiſſimorum, fluxæ, dubiæ, incertæ, atque etiam ſæpe (quod magis mireris) ipſæ ſibi aduorſæ, vel in eiuſdem quoque argumenti diſceptatione, ſententiæ; quorum tamen ſi conſcientiam appelles, ea pro vtriuſque cauſſæ defenſione adferent argumenta, eas rationes (etiam ij, quibus cæcis auaritia, omnia honeſta atque inhoneſta vendere mos eſt) vt præter vnam ſolamque æquitatem, nihil ob oculos habuiſſe videantur. Quam quoque incertæ fragileſque iis poſſeſſiones hæreditateſque ſint, quibus earum retinendarum cauſſa, iudicio ſiſti, litemve ſuſtinere neceſſe eſt, iure quantumuis optimo illi nitantur; præſertim ſi aduerſarius obtingat, qui præpotentis alicuius (cuius commendatio vim neceſſitatis adferat) innitatur patrocinio. Cæſo ad Cortracum ſæculi huius anno ſecundo, inter proceres cæteros, Roberto Atrebatenſi comite, cum Robertus eius ex Philippo filio (qui eo viuo deceſſerat) nepos, repræſentationis illi iure eo in comitatu, vti contendebat, ſuccedere deberet,

deberet, ſenatus Pariſienſis (Parlamentum appellant) Mathildi Philippi ſorori, Robertique iunioris amitæ (quæ Ottoni Burgundiæ nupſerat comiti) cauſſa cognita, Philippo Pulchro rege Præſide, bonorum illorum controuerſorum poſſeſſionem adiudicauit, nequicquam ſe iure potiorem clamitante Roberto. cui ne omnino priuatam vitam ageret, comitatus Bellomontanus, multo minoris dignitatis, ac opibus tenuis ſuit attributus. Præbuit ea res (eam ipſam præſertim ſententiam, eodem illo Pariſienſi ſenatu, ſæculi illius anno XXXI, in Philippi Valeſij Regis gratiam, confirmante) grauiſſimis quibus Gallia multis ab eo tempore annis agitata fuit motibus, occaſionem, maximamque in hominum animis peperit admirationem: præſertim poſtquam vix toto ab eo tempore elapſo decennio, diuerſum prorſus in ſimili plane cauſſa iudicium ab eo ipſo ſenatu, illo ipſo rege ſententiam primo loco dicente, ferri viderent. Habet ea res in hunc ſe modũ: *Ioannes dux Britanniæ, Petri & Ioannis rufi, ducum, huius filius, illius nepos, Lugduni oppreſſus ruina muri, filium Arturum reliquit. Is dux, duobus deinceps matrimoniis liberos tulit: ex Beatrice vicecomite Lemouicum, & Auennarum in Annonibus domina, procreauit Ioãnem tertium ac Vidonem: ex Iolantide comite Monteſortis progenuit item Ioannem, cui nupſit ſoror Ludouici comitis Flandri. Ex Vidone nata eſt Ioanna & cognomine & offenſo corpore Clauda. Ioannes tertius dux nullos genuit liberos, ſuperſtes fratri Vidoni. Is Claudam fratris filiam nuptui dedit Carolo comitis Bleſenſis minori filio, ex Margareta Philippi Valeſij Franciæ Regis ſorore ſuſce-

Paulus Æmylius ſub initium libri noni ſuæ hiſtoriæ.

pto. Mortuo Ioanne, eius frater item Ioannes iure materno comes a Monteforti, affirmans ſe legibus vocari ad Britanniam obtinendam, Nannetes occupauit, fraternumque aurum, quod in Lemouicum arce aſſeruabatur, illuc profectus, ſibi depromi iuſſit. Exin Breſtum, quod oppidum arcemque præſidium Caroli Bleſenſis inſederat, regreſſus ad deditionem compulit, Rhedones etiam in poteſtatem redegit, & Veneti ſe aduenienti dedidere. Poſtulabat ab rege Franco, vt ſe in fidem reciperet, Britanniæ ducatum eſſe beneficium Francorum regum. Aduerſarium habebat Carolum Bleſenſem. Is vxoris Claudæ cauſſam agebat, illam eſſe Vidonis filiam, qui pater ſi viueret, ſine controuerſia ſucceſſurus fuiſſet Ioanni tertio defuncto, quod ab eo frater ſecundus natu foret: Ioannes vero, qui nunc fratrum reliquus eſſet, tertius numeraretur: ac æquum eſſe, eodem loco filiam haberi, quo pater ſi viueret haberetur: hoc in multis aliis publicis priuatiſque cauſſis conſtitutum obſeruatumq. Ille contra tendebat: teſtabatur recẽtem etiamnum memoriam, & id quod ſecuti fuiſſent patres Pariſienſes Franciæque compares in comitatu Atrebatenſi adiudicando Mathildi amitæ, excluſo Roberto fratris filio. Quod ſi mulieres in hæreditatibus paternis præferuntur fratrum iam mortuorum filiis, multo æquius eſſe, ſe virum, ſe patruum, præferri fœminæ Claudæ, fratris iam mortui filiæ: quando iam in Roberto Atrebate huius cauſſæ præiudicium factum ſit, filios filiaſve patrem in ducatibus comitatibuſque non referre, non eodem loco non eodem iure cenſendos. Se Ioanni tertio duci fratri vno gradu propiorem eſſe quam Clauda fratris filia

lia ſit. Hæc plurimis verbis ſummaque contentione in ſenatu, ſedentibus comparibus, præſide rege, acta. Secundum Bleſenſem ſententia lata, ſtatutumque aliam aliorum ducatuum comitatuumq. cauſſam: nec Atrebates eodem iure agere quo Britannos. In cauſſa Atrebatenſi palam factum edoctoſque iudices, eodem mulieres iure quo viros eſſe ad comitatum Atrebatenſem obtinendum, nec patrum repræſentandorum conſuetudinem in Atrebatibus receptam. Ioannes id iudicium non æquo, iureve, ſed in gratiam regis, qui Bleſenſis auunculus eſſet, factum ratus, relicta in Nannetibus vxore filioq. Ioanne adhuc puero, ac amicorum fideliſſimis, qui res interea tutarentur, in Angliam, quo Atrebas antea pari dolore traiecerat, profectus, cum Eduardo rege fœdus percuſſit. Ius (inquit tandem Paulus Æmylius, quibus verbis eum ſermonem finit) cauſſaque dubia, vtrum patrui an fratrum filij ad res imperiaque obtinenda vocandi ſint, ingentium toto terrarum orbe motuum origo exſtitit.



Blanca Burgunda, Roberti eo nomine tertij, & Eudi Burgundiæ { *Margareta Ioannis Britanniæ ducis tertij vxor tertia.*

ducum, illius filia huius ſoror. Soror quoque Ioanna Philippi Valeſii Gallarum regis vxoris. Quæ Lutetiæ Pariſiorum Domini anno MCCC-XLVII. *ex hâc migrans luce, iuxta maritum tumulatur.*

DE AMADEO EO NOMINE QVINTO.

EDVARDO antedicto rebus humanis exempto, Amadeus eo nomine quintus frater eius Auenione, vbi tum temporis apud Ioannem Pontificem eius nominis viceſimum ſecundum, degebat, euocatus, diui Mauricij annulo, ab eius prouinciæ ordinibus inuitus reluctanſque (quod modeſte de ſe ſentiens, tanto ſe oneri imparem diceret) donatur; Margaretæque defuncti Eduardi filiæ (quæ miſſis, vt patrem deceſſiſſe intellexit, legatis, Sabaudiam ſibi tanquam paternorum bonorum veræ vnicæque hæredi tradi poſcebat) præfertur. Neque enim (quod longa iam conſuetudine obtinuerat) fœminis aditum ad eum honorem patere illius prouinciæ proceres volebant, quamdiu virilis ex ea familia ſtirpis, iuſto legitimoque natus thoro, aliquis reliquus eſſet. Quam rem edoctus Britanniæ dux Ioannes, Margaretæ maritus, auri magna accepta vi, vxori iuri quod ad comitatum Sabaudicum ſibi eſſe contendebat, vti renuntiaret, author fuit. Princeps fuit pius, inturbidus, prudens, fortis, nullius repentini honoris, adeo non principatus appetens, & pacis amantiſſimus, ab omni ambitionis fumo aliorumque inuadendi bona deſiderio in tantum alienus, vt in iis quæ iure ei deberentur conſectandis haud admodum eſſet anxius, ſollicituſque. Cæterum cum Guigo Delphinus Viennẽſis (quem parta ad Vareium victoria Eduardique comitis mors inſolentiorem fecerãt) Sabaudicum Foucigniumque agrum depopularetur, cædibus, incendiis paſſim graſſaretur, & hominum

hominum pecorumque prædas ageret, ſubditorum tandem ſuorum, qui de atrocibus hiſce iniuriis (quæ eo vſque prouectæ iam erant, vt, conſumptis longe lateque frumentis, neque terra, quæ per hoſtiles incurſiones coli haud poterat, aliud proferente, in maximis ſe anguſtiis conſtitutos videren) frequenter apud eum querebantur, importunis victus precibus, poſtquam admiranda liberalitate eorum inopiæ neceſſitatique proſpexiſſet, Amadeumque Geneuenſem comitem, & Hugonem Geiſij dominum, fœdere cum iis facto, in ſuas pertraxiſſet partes, arma aduerſus Delphinum (Philippo Moreæ principe, & Ludouico Sabaudo Vaulxij regulo, cognatis patruelibus, auxilia adducentibus) ſumit, iuſtoque conſcripto exercitu Monthouſium (quam Humberto fratri ſuo vna cum Foucignio agro donarat arcem Delphinus) obſidet, eaque, dedentibus ſeſe obſeſſis, quibus qua erat clementia parci voluit, ſingulari ſua virtute potitur tandem; poſtquam primus inter ſuos, periculo omni ſpreto, cunctantibus ceteris, in murum ſcalis admotis, euaſiſſet, & rem auſus incredibilem atque inauditam, multoque magis ad famam temeritatis, quam gloriæ inſignem, in ſubiectam planiciem, ſequentibus præ pudore certatim militibus (quibus quod prima oppugnatio non ſucceſſiſſet, animi nonnihil decreuerant) præcipiti ſaltu ſemetipſe, ingenti animo periculo maiore (quippe armis fulgentibus conſpicuus, vnus præcipue telis petebatur) immiſiſſet, dignaque prorſus ſpectaculo ediditſſet. Eum locum valido munitum præſidio, commeatuque neceſſario in eum importato, cum militem exauthoraſſet Sabaudus, admotis intempeſta quadam

dam nocte, in Delphini gratiam, clam ad muros ſcalis, Hugo Geneuenſis recipit. Cuius infortunij in Seſiellenſi oppido certior factus Amadeus, cum ea quam tum cogere potuit manu, Monthouſium recta, ſuppetias adducente Geneuenſi comite, pergit, vbi commiſſo cum Hugone Geneuenſi, ad arcis radices, conflictu, victor, Ioannem Sabaudum, quem primo captum congreſſu hoſtis abducebat, recipit; & Monthouſio denuo, dedíte quarto obſidionis die Hugone Geneuenſi, potitur. Duobus inde medio inter Montmellianum & Aſpremontium loco (ex quo, & quidem ſolo, ad Chamberyum vrbem erat aditus) conditis caſtellis Marcheſio Motterioque (quæ modicis inter ſe ſtadiis diſtabant, ne procul repetendum eſſet mutuum auxilium) Delphini, qui eam ſe ciuitatem eiuſque ſuburbia iniecto igni corrupturum iactabundus fuerat interminatus, vanas ſpes vanoſque illuſit conatus. Vrebat accepta ad Monthouſium clades mirabiliter Hugonem Geneuenſem, vindictæ. Itaque & abolendæ ignominiæ auidus, Villegrandam arcem, milite commeatuque a Delphino acceptis, obſidet, expugnat, ſpoliat, euertit: ſed accurrentibus e veſtigio Amadeo comite Geneuenſi, & Ludouico Sabaudo, arx illa vna cum oppido reſtauratur, meliorque longe poſt excidium renatæ, quam integræ fuit facies. Sed nihilo propterea magis quieſcentes Delphinates, * Perriercam in Sabaudico ſolo arcem, admotis clam ſcalis, & promptiſſimo quoque ſuccedente, ſæculi eius anno XXXII. capere tentant: vbi inſidiæ parum ceſſere, ad vim tranſgreſſi, palam locum obſident, eoque, poſtquam ipſemet Delphinus, qui ſuis ſubſidio venerat, dum

al. *Pierriveam.*

MCCCXXXII.

dum propius loci ſitum contemplatur, ab emiſſa forte ex arce ſagitta ictus, cecidiſſet, deditione tandem potiuntur. Obſeſſi ad vnum omnes, incolumitatem pacti licet, increpantibus nequicquam tribunis nobilitateque, tanquam fidem per ſcelus abrumperent, ab incondita & in furorem ob amiſſum principem, acta multitudine, quæ ea victoria ex libidine ſua vſa fuit, interfecti fuere: non ſexus, non ætas, miſerationem attulit: arx ſpoliata & diruta funditus. Guigoni Delphino cum Humbertus ſucceſſiſſet frater, Galliarum rex Philippus Valeſius, pacis Sabaudo iuxta Delphinoque author fuit. qua cum ſubditorum ſummo vtrimque gaudio confecta tandem, ſanctioris puriorisque vitæ ingreſſus iter Sabaudus, pietatis varie exercendis officiis totum ſe tradidit, ædeſque aliquot ſacras conſtruxit, partim a fundamentis (inter quas Dominicanorum ad Montmellianum monaſterium) partim reſtaurauit, prouentibuſque annuis auxit: & in his ſacellum arcis Chamberianæ & abbatiæ Altecombanæ, in quam collecta vndique maiorum ſuorum oſſa inferri voluit. quibus ipſe paulo poſt, ſæculi eius anno quadrageſimo ſecundo, Amadeo filio impubere ſucceſſore relicto, cum ſubditorum omnium, vicinorumque principum (quibus erat longe cariſſimus) ſummo luctu decedens, iunctus fuit. Rem de Guigone hoc Delphino, quem ad Pierrieream arcem telo confoſſum ſupra oſtendimus, maximæ admirationis referunt annales, & dignam quæ mortalibus omnibus ante oculos ſemper obuerſetur, vnde manifeſto intelligant, Deo vti ſecuritatem noſtram, ita quoque & vltionem curæ eſſe. MCCCXLII.

Delphinus

» Delphinus Allobrogum (inquit inter cæteros qui hi-
Lib.VIII. ſtoriam hanc tradidere * Paulus Æmylius) bellum
» cum Sabaudis (vt inter finitimos aſſolet) ob finium con-
» trouerſiam gerebat, bello inclitus, ſed alienarum vxo-
» rum pudicitiæ infeſtus. Bohemus auxilio illi ſocio ami-
» coque cum ire conſtituiſſet, filius eius Carolus (vt Pon-
» tifex Pius narrat) per quietem viſus eſt ſibi videre, viri
» diuina ſpecie prædití iuſſu, præſtanti iuuenem forma,
» editiorem in locum raptum, detractaque veſte exſe-
» ctum; ſibique interroganti, cur & quiſnam tam egregia
» indole adoleſcens tam fœde atrociterque haberetur, re-
» ſponſum, Delphinum aliena cubilia attrectare ſolitum,
» meritas pœnas numini dare. Somnium filij in præſen-
» tia eluſit pater, bidui viam progreſſus, certum nuntium
» accepit, Allobrogem in oppugnatione oppidi, vulnere
» accepto, deceſſiſſe. Quod minus memorabile & for-
» taſſis vanum credi poſſet, niſi ſub idem tempus occu-
» buiſſe telo hoſtium, eius gentis annales authores eſſent,
» & in agro Parmenſi, vbi nocturna quiete id obuerſa-
» tum fertur, ædem Virginis, vt monumento foret, Bo-
» hemum ſtruxiſſe, locupletaſſeque vectigalibus, hanc-
» que rem teſtatam tabulis Bohemi regis, legiſſe ſe Pon-
» tifex tradidiſſet. Hactenus Paulus Æmylius, cui
Franciſcus Belleforeſtus & Bernardus Girartius con-
ſentiunt.

IOLEN-



IOLENTA *Palæologa, Theodorici Palæologi Montiſferrati marchionis (Andronico ſeniore Palæologo Græciæ imperatore & Iolenta Montiſferratenſi nati) Argentinaque Geneuenſis filia. Cuius Theodorici frater Emanuel imperator Conſtantinopolitanus Amadei comitis ſororem Ioannam (nonnulli vti opinantur) duxerat. ſed ego quomodo id fieri queat, nõ video. Emanuel enim ſolus imperium non tenuit, ſed cum patre, quo ſuperſtite naturæ conceſſit. Fortaſsis filius eius Andronicus Iunior Ioannæ maritus fuit. Iolanda hæc matrona fuit incomparabilis, & ſui ſæculi ſingulare ornamentum. Adeo in pauperes egenoſque prona, vt ægros ſuo ſubinde alloquio (mariti optimi exemplo) confirmaret, torpentes nunc vini, nunc cibi odore excitaret, fomenta corporibus admoueret, vulneraque ſuis ipſa manibus obligaret. Sunt qui Iolandam hanc filiam fuiſſe ſcribant Theodorici Montiſferrati marchionis, Emanuelis Conſtantinopolitani imperatoris filij ſecũdo geniti.*

AMADEVS *comes.*

BLANCA. *cui vir Galeacius primus Mediolani dux, filius Ioannes Galeacius.*

IOANNES *obit puer, matre ex eius partu x. cal. Ianuarias* MCCCXLII. *extincta.*

CATHARINA. *hanc nonnulli addunt.*

ACHABIA. *Huius, aliis ignorati, meminit Reuſnerus, vxoremq; illi fuiſſe ſcribit Belloioci comitis filiam, ex eoque natũ matrimonio Achabiam iuniorẽ, qui vxore (inquit) ducta Amadei Geneuenſis & Mathildis Deuoinæ Aruerniæque comitum filia, procreauit ex ea Methtildem Ludouico electori palatino ad Rhenum & Bauariæ duci nuptam. Ego cum Paradino crediderim Achabiam Amadeo prognatum non fuiſſe.*



CATHARINA *Luxenburgenſis, Caroli eo nomine quarti imperatoris ex Agnete (cui Rudolphus iunior Rheni palatinus pater) filia. quæ marito ſuperſtes, Rudolpho quarto Auſtriæ nupſit duci, Alberti ſecundi Auſtriæ ducis filio. Solus Stephanus Luſignanus huius Catharinæ cum Amadeo matrimonij meminit. Scribit quidem is, qui Auſtriacam deſcribit ſtirpem, Catharinam hanc Rudolpho cum nuberet, viduam fuiſſe: ſed quis prior illi fuerit maritus, non tradit. Solius Iolanda mentionem facit Paradinus, eamque illo ipſo quo maritus anno, lucem hanc reliquiſſe innuere videtur.*

detur. Eſt qui anno demum ſaeculi illius ſexageſimo diem eam obiiſſe ſupremum ſcribat. Mihi vix veriſimile fit. Carolo imperatori filiam fuiſſe ea aetate Amadeo huic nubere vti poſſet.

DE AMADEO EO NOMINE COMITE SEXTO.

AMADEO quinto Amadeus ſuccedit filius, puer
admodum, ætatis anno ſcilicet nono, ſalutis ve-
MCCCXLII. ro MCCCXLII, datique qui ætatem eius regerent, Lu-
douicus Sabaudus Vaulxij regulus (quem non recte Pa-
radinus patruum illi fuiſſe ſcribit: cui triennio poſt fatis
ſublato, Guilelmus Baumeus, ſuæ gentis nobiliſſimus,
communi nobilitatis ordinumque prouinciæ eius de-
creto ſufficitur) & Geneuenſis comes Amadeus, qui eo
illum nomine in ſacra ablutione donarat. Viridem di-
ctum ſcribunt, quod eius coloris veſtibus vt plurimum
ipſe ciuſque miniſtri domeſticique vterentur. Alij ita ap-
pellatum aiunt, quod annos natus duodecim, in equeſtri
ludicro herbacei coloris veſtem geſtans, victoriam re-
portaſſet. Mortuo Roberto Siciliæ rege, principatus Pe-
demontanus, qui Roberto paruerat, pro maiore parte
in Amadei huius Iacobique Sabaudi Moreæ principis,
viri longe optimi fortiſſimique, conceſſit poteſtatem,
Ioanna regina, Roberti nepte, quod fœminam patrio
more in id faſtigium recipi, populus Pedemontanus ne-
garet, excluſa. Vbi primum Sabaudo ætas militiæ pa-
Syon. tiens fuit, pulſum Seduno, ab incondita Valeſianæ ditio-
nis multitudine, præſulem, ſuperatis primum prælio Va-
leſianis, & Seduno deinde vrbe vi expugnata, captiſque
deditione Valereſia (in quam eius ciuitatis canonici
confuge-

confugerant) & Turbellone arcibus, iuraque antiqua pati coactis, in priſtinum reſtituit locum. Renouatum deinde inter ipſum Delphinumque bellum. Cuius hæc fertur cauſa. Hugardus Geiſij regulus, grandi a Delphino accepta iniuria, eo deſerto, in Amadei quinti, Amadei huius patris, partes tranſierat, Geiſiumque baronatum illi eiuſque poſteris clientelari ſubiecerat iure. Cuius facti pœnitentia ductus paulo poſt, accerſitum ad ſe Hugonem Geneuenſem morti iam proximus ea lege hæredem inſtituit, vt eius dominatus cauſſa, ſoli Delphino, vero legitimoque domino ſuo, fidem ſuam obſtringat. Offenſus ea hominis inconſtantia Sabaudus, Hugoni ad ſe vti veniat, & eius loci ergo Hugardi exemplo iuramentum ſibi præſtet, denuntiari iubet. Ad quæ cum proteruius ille (vt erat linguæ immodicus) reſponderet, nihil ſibi cum Sabaudiæ comite Geiſij dominatus intuitu, negotij eſſe, facileque in eius, cui fidem ſuam iureiurando illigaſſet, futurum poteſtate, vt aduerſus Sabaudi iniurias ſe tueatur atque defendat: non tenuit iram Sabaudus. Itaque Florimontum arcem, cum eo, quem arrogantis illius reſponſi quaſi certus conuenire iuſſerat milite, obſidet, eaque tandem per vim, magna hominum edita ſtrage, potitur. Qua capta, validoque præſidio munita, ad Geiſium obſidendum recta pergit, quæ ipſa quoque, munitiſſima licet alioqui, & a milite inſtructiſſima vrbs, poſt duriſſimam aliquanto tempore toleratam obſidionẽ, & poſt crebras in hoſtilem exercitum factas excurſiones, in Sabaudi poteſtatem deditione tandem vna cum arce venit. Indignari ſupra modum ob amiſſum Geiſium Hugo Geneuenſis, & Sa-

baudiæ fines (Delphino ſtipendia militi præbente) depopulari, arces aliquot, & in iis Mordreſum & Meſſiereſium (quibus vi captis, nulli neque ætati neque ſexui parcitum fuit) demoliri funditus. Bonneuaulxium autem quia expugnari non poterat, igneis varie iniectis telis, vna cum iis qui in eo erant mortalibus (quos omnes, militibus per ſummam crudelitatem exitu prohibentibus, ignis hauſit) corruptum fuit. Non impune diu tantum ſcelus tulit Geneuenſis: ſimul enim ex ſuorum querelis quæ ille deſignaſſet, cognouit Sabaudus, conſcenſo ilico equo, hoſtem (qui ſpoliis prædaque diues, diuiſo bifariam milite, lætus ouanſque, omnia magis quam prælium exſpectans, incedebat)continuato die noctuque itinere perſequi properat. Aſſecutus, ad Dalomieuum, agmen vnum (alteri in Arboſiis Guilelmus Baumeus occurrit) tanta animorum alacritate, impetum in illud facit (haud ſegnius in altera parte pugnante Baumeo) vt cæſis vtrobique pleriſque omnibus, reliquis captis,& præda recepta, nemo ſupereſſet,qui acceptæ cladis nuntium domum reportaret. Qua non contentus victoria Sabaudus, vlterius progreſſus Bellomarchiam arcem expugnat deletque, & Turrim deinde Pineam obſidet. Cæterum Delphino Delphinatum ſub eos ipſos dies in Philippum Valeſium Galliarum regem transferente, Guilelmus Baumeus (quem nobiliſſima inter Allobroges ortum familia, Galloque longe gratiſſimum, in Galliam Sabaudus illi impediendæ rei fruſtra ablegarat) ita cum Gallo agit: vt certis iuſtiſque inter Delphinatum Sabaudiamque (vicina & connexa inter ſe loca) conſtitutis limitibus, litium bello-

rumque

rumque materia omnis in poſterum inter eas prouincias præcideretur. Conuenitque præterea vt Bonam Petri Borbonij ducis filiam vxorem Sabaudus duceret, vtque (quoniam cum vtriuſque id coniunctum commodo) quæ trans Guyerum Sabaudus poſſideret oppida caſtellaque, ea Galli regis filio natu maximo tanquam Delphino, quæ ex aduerſo, cis eundem amnem Delphinus obtineret loca, ea Sabaudo omnia cederent, & ab eius poſteris, vna cum iis quos in Verbonneo ſolo habuerat agris, poſſiderentur. Foucignius quoque baronatus & Beauforti dominium penes Sabaudum ex illius ipſius contractus legibus manſere. Placuit quoque vt Geneuenſis comes, Villarſiique regulus, & nobiles in Delphinatu alij nonnulli (in quos ſupremum ſibi dominium Sabaudus arrogabat) in Sabaudi in poſterum fide clientelaque eſſent. Longo moleſtoque defunctus tandem bello Sabaudus, & Galli regis amicitiam ſibi conciliaſſe lætus, militem omnem exterum, cui ampla opulentaque dederat ſtipendia, quod eius operam neceſſariam amplius haud haberet, pro maiore parte dimittit. Exauthoratus miles ille cum Mediolanum ſe ad Ioãnem eius loci archipræſulem, ingentis ſpiritus virum, qui Luchino fratre, vicecomite Mediolanenſi fato functo, eum principatum inuaſerat, contuliſſet, archipræſul peropportunam Pedemontanum principatum imperio ſuo adijciendi occaſionem ſe nactum ratus, præſertim quia militem ſuum Sabaudus iam dimiſiſſet, illi ipſi dimiſſo a Sabaudo militi, aliiſque ex latronibus prædonibuſque, quos ſpes prædæ tranſuerſos egerat, aut quibus ob egeſtatem ac metum maxima peccandi neceſſitudo, paſſim

 coactis,

coactis, ſtipendia clam conſtituit, Pedemontanumque agrum vti incurſent, prædentur, & hoſtilitatem in eo exerceant, imperat; ea tamen conditione, vt quaſi nulli merentes, priuato paucorum latrociniis ſuctorum & capite cenſorum conſilio, Dauidis (cui Magni cognomen) & Roberti Pinij (quos cuicunque flagitio promptos, duces ſibi deligerent) authoritatem ſequuti, bellum hoc ſuſcepiſſent, præ ſe ferrent. Parent illi, Pedemontiumque (communicatis cum Saluſſiano marchione, qui milite commeatuque eos, ſi opus eſſet, ſe iuuaturum promiſerat, clam conſiliis) ingreſſi, agros depopulantur, pecora abigunt, villas ædificiaque paſſim incendunt. Non tulit eam iniuriam Sabaudus, ſed quotquot varie ſparſos habebat, conuenire propere iuſſis militibus, prædones hos (qui trans alpes etiamnum hærere illum exiſtimabant) in abbatia Eſtaffardiana (quod in ea ipſa prouincia ſitum monaſterium) imprudentes atque inopinantes opprimit. Illi repentino metu perculſi, ſibi quiſque pro moribus, conſulunt, alij fugere, alij arma capere, magna pars vulnerati aut occiſi. Dauidi Robertoque ducibus captis laqueo gulam lictor fregit. Ita dignum illi moribus factiſque ſuis exitum vitæ inuenere. De reliquis captis eodem modo ſupplicium ſumptum. In archipræſulis huius Ioannis mentionem quando incidimus, operæ erit, memorabile eius inter multa factum, quo pontificium ſummæ ſeueritatis imperium facetiſſimo obſequij genere magni fecit, ſimul & eluſit, inquit Paulus Iouius, ex eodem Iouio hic inſerere.

» Cum a Pontifice (inquit) expetentibus Florentinis,
» Auenionem, vt coram adeſſet, ſub anathematis pœna citaretur,

taretur, lætiſſima fronte, reſpondet, ſe vti fidelem dictoque obedientem ſeruum deceret, inſtructa profectione Auenionem mature peruenturum, vt præſenti obſequio, proiectus ad pedes, ſacroſanctum pontificem veneraretur. Cæterum legatos miſit, qui per omnes vrbis regiones ampliſſimas domos, perſoluta eius anni penſione conducerent, ingentemque omnis generis commeatus copiam compararent, qua numeroſus comitatus aleretur. In id porro quæſtor multa onuſtus pecunia adeo profuſe operam intendit, vt mirum in modum annona in foro creſceret, nec peregrini negotioſique homines ex omni Europa ad pontificiam aulam confluentes, vllum omnino pro hoſpitio tectum in vrbe conductore vacuum reperirent, & publice populus & inquilini de annonæ caritate conquererentur. Quibus inſolitis vocibus permotus Pontifex Mediolanenſes legatos cuncta prodige coementes vocat, cauſſam quærit cur tantum commeatus accumulent, totque paſſim ampliſſimarum ædium hoſpitia inani ſumptu ad querelam publicam conducant? Legati ita parare ſe iuſſos a Ioanne præſule reſpondent, qui ſeptem millia armatorum equitum totidemque peditum præſidij & comitatus cauſſa ſit adducturus. Intellexit ilico Pontifex quo rerum ſuarum periculo Ioannes tantis inſtructus viribus foret exſpectandus, leniterque ſubridens, tanti itineris laborem, præſuli tanquam occupato, & præclare pontificij nominis ſtudioſo, benigne ſe remittere dixit. Legati autem cum dimitterentur, honeſtiſſimis a cenſu virtutis, aut parum ditibus, conductas domos gratuito conceſſerunt. Ita vt commeatum quoque omnem, aut ſacratis cœnobiis, aut

e plebe

„ e plebe miſeris & egentibus largirentur. Et hactenus Io-
„ uius. Vaulxium inde baronatum (vt eo vnde digreſſi ſumus redeamus) a Guilelmo comite Namurcenſi, qui Catharinam Ludouici Sabaudi Vaulxij reguli filiam & hæredem vnicam vxorem duxerat, Amadeus comes emit. Alij Catharinam hanc Iacobi Sabaudi Moreæ principis filiam fuiſſe autumant: cum quo Iacobo Sabaudo graue comiti Amadeo diſſidiū paulo poſt intercеſſit, quod miſſum ad ſe viatorem, qui comitis illi iuſſu diem diceret, & vna adoleſcentem quendam nobilem ex gente Prouanneſia (cuius bona per vim inuaſerat) interfeciſſet. Grauiter quippe ferens comes & magiſtratum contemptum, & iuſſis ſuis non paritum, traiectis eueſtigio, ex ſenatus ſui conſilio, cum militum non contemnenda manu, Alpibus, oppida caſtellaque aliquot Moreani principatus capit; Thurinum nimirum, Pinerolum, Sauillanum, Vigonem, & Eſcarraphium. Sed dum Carignanum, reliquam illi, armis viriſq. opulentam vrbem, vna cum arce obſidet, amiſſis, fortiter ſeſe defendentibus obſeſsis, Guilelmo Baumeo & Iacobo Chalantio, viris ſibi longe cariſſimis, eam ſibi cladem, quod in ſanguine ſibi proxime iunctum virum principé arma vertiſſet, Deo vltore, accidiſſe ratus, Moreo, facti illius ductus pœnitentia, in gratiam recepto, ablata reſtitui protinus iubet. Ordinis equeſtris ſodalitium in angelicæ Annunciationis honorem primus Amadeus hic inſtituit, & primæ nobilitatis viros (quibus ipſe præſideret) in collegium illud allegit quatuordecim, quos aurea ſingulos donat torque, ex qua tres dependentes laciniæ dictionem hanc FERT (quod Amadei magni comitis

mitis ſymbolum fuiſſe ſupra oſtendimus) ſingulæ repræſentabant, quæ venereo connexæ inter ſe nodo, diuæ Mariæ virginis ab angelo ſalutatæ (ea enim res ſodalitio nomen dedit) effigiem præferebat. Primi ſodalitij huius, præter ipſum Amadeum, fuere equites: AMADEVS GENEVAE COMES, ANTONIVS BEAVIEVSIVS, HVGO CHALONIVS ARLAII REGVLVS, ALMONDVS GENEVENSIS, IOANNES VIENNENSIS FRANCIAE ADMIRALDVS (qui in Hungariá aduerſus Chriſtiani nominis hoſtes miſſus fuit) GVILELMVS GRANSSONIVS, GVILELMVS CHALOMONIVS, ROLANDVS *VERSYVS BORBONIVS, STEPHANVS BAVMEVS nothus, CASPARVS *MOMMEVRIVS, BARLEYS FORASIVS, *THEVNARDVS MENTHONVS, AMADEVS *BONNARDVS, & RICHARDVS *MVSARDVS Anglus. Carthuſianorum inde ad eum locum qui Petrus Caſtellus dictus, in quo pro illius ſodalitij equitum ſalute ſtatæ perpetuæque ad Deum fierent preces, conſtruxit monaſterium, cauitque vt quandocunque ex eo collegio aliquem ex luce hac decedere contingeret, alius ab eo qui rerum per Sabaudiam tum potiretur, in eius ſurrogaretur locum, quod in perpetuum ita obtineret: ſimulque vt annis ſingulis diuæ Virginis Mariæ annuntiationi feſto die equites eius ſodalitij omnes conuenirent, & ſimul feſtum illum agerent diem, vtque in defunctorum locum alios tum comes (vti diximus) ſubſtitueret. Erant & aliæ nonnullæ eiuſdem ſodalitij leges, quas variis inſcriptas libellis, equitibus vna cũ torque tradi co-

*al. *Veiſius.*

* al. *Monteurius.*

* al. *Thenuardus.*

* al. *Bonivartus.*

*al. *Muſartus.*

L mes

mes iuſſit. Amadei ſequuti exemplum Ioannes & Ludouicus vndecimus Galliæ, Eduardus tertius Angliæ reges, & Burgundiæ dux Philippus, is qui Bonus dictus, Ioannes Epiphaniæ ſeu ſtellare, Ludouicus multo tempore poſt, eo antiquato, diui Michaelis, Eduardus Gatterium ſeu ligulæ coloris cyanei, in diui Georgij honorem, Philippus autem aurei velleris ſodalitium inſtituere. Eo inſtituto ſodalitio, aduerſus Fredericum marchioné Saluſſianum, qui cum Ioanne archipræſule & Mediolani duce paulo ante (vti demonſtrauimus) conſpirarat, & fidem temere mutarat, proficiſcitur, quem duriſſime in Saluſſiano oppido, poſt adempta ei loca aliquot, obſeſſum, ſupplicem tandem ad ſe in caſtra, mantili collo obuoluto (quod ſummæ ſubmiſſionis indicium) venire, & in procerum omnium totiuſque exercitus conſpectu (quo maiorem homini faſtuoſius paulò ante palam locuto incuteret pudorem) pœnam deprecari & fidem ſibi ſuam iureiurando denuo obſtringere cogit. Hoc vix liberatum bello Sabaudum grauius protinus excipit malum. Conſtituta quippe in Gallis pace, cum militi Anglo (cui Robertus Canolius, Ioannes Angrithus & Annequinus Bougardus præfecti) in Lombardiam, vt Montisferratenſi marchioni aduerſus vicecomites Mediolanenſes auxilium ferret, eſſet eundum, fieri vix poterat vt populo Pedemontano propter inopiam, & propter eam quæ inter vtramque prouinciam eſt vicinitatem, non eſſet grauis iniuriuſque. Quam indigniſſime rem ferens Sabaudus, armis ſumptis, Anglos (quorum ingens erat multitudo) eam vt iniuriam a ſuorum humeris propulſaret, bello ad-

oritur, cuius infauſtus prorſus (non ſine magno eius pudore) fuit ſucceſſus: eaque res ſorte, quam conſilio melius geſta. Illi quippe villas paſsim rapiendo, & Riuerolo oppido, Pauonioque & Marthiniano caſtellis expugnatis, ipſum tandem comitem, in Lauſia obſeſſum arce ſuæ haud dubie feciſſent poteſtatis (ſuburbiis enim iam captis, potentiſſimi quique ex Sabaudica nobilitate, in eorum venerant manus) niſi Guilelmi Granſſonij (qui vnus ex captiuis erat) ſingulari fide, præſenti periculo fuiſſet ſubtractus. Is enim vt bis mille & quadringentis, quas ipſe & Antonius Beauieuſius pro dimiſsione ſua daturos ſe promiſerant, cōtenti libris, & obſidionem ſoluerent, & comiti, a quo læſi non fuerant, loca adempta reſtituerent, cœptumque iter, ab iniuria & maleficio temperantes, continuarent, facile (qua valebat facundia) perſuaſit. Hic fuit exitus belli quod repente ortum, prius tamen finitum eſt, quam rex Anglus quicquam de eo reſciſceret. Ingenti inde conſcripto exercitu, quem vna cum Ludouico Borbonij duce, non minoribus inſtructo copiis, aduerſus Petrum Caſtellæ regem, qui Blancam coniugem ſuam, Borbonij ducis & vxoris Amadei ſororem, duabus interclusam culcitris, in Mariæ Padilianæ pellicis gratiam necarat, fœminæ affinitate ſibi conuinctæ tam indigna nece commotus, ducere ſtatuerat; vbi Petrum regem Henrici fratris nothi manu trucidatum, meritaſque ſceleris ſui pœnas dediſſe cognouit; omiſſo paratu inuadendæ Hiſpaniæ, aduerſus Craicuicium Bulgariæ deſpotam, qui Ioannem Palæologum (Alexium alij fuiſſe aiunt) imperatorem Conſtantinopolitanum, per amicitiæ ſpe-

ciem comprehenſum in vincula conieceerat, arma vertenda putauit, atque militem in Græciam transducendum, otiumque interpellandum, cuius materia opportune alebatur. Conſpirarat clam perfidus ille tyrannus aduerſus Ioannem Palæologum imperatorem (in cuius tamen fide clientelaque antiquitus erat) cum Amurathe Turcarum principe, qui facta per eam occaſionem in Ioannis ditiones irruptione, loca illi omnia (Conſtantinopolitana & Nicopolitana vrbibus demptis) ademit. Hanc propinquo ſuo a cliente, & nomini Chriſtiano ab homine Chriſtiano, illatam per ſummum ſcelus iniuriam, vindicaturus Amadeus, difficillimi periculoſiſſimique itineris ſuſcipit moleſtias. Cæterum quoniam rex Hungarus in continenti bellum ſe, cum ſexaginta millium armatorum exercitu, geſturum promiſerat, ſtatuit ipſe, diuerſi vt irrumperent, mari, contractis omnium gentium auxiliis, rem gerere. Erant ex Burgundica Sabaudicaque nobilitate in eius comitatu, Hugo & Ludouicus Chalonij fratres, Argueli hic, Arlaij ille, Amadeus Geneuenſis Anthoni, Ioannes Mombelius
*De la Pale. Entremontij, Aimardus Seiſſelius Daiſi, Amadeus *Paleus Varambonij, Amadeus Chabreij, & Humbertus Chyuroni, reguli. Ex cæteris accurrere prouinciis, Ioannes & Gautherus Viennenſes, Theobaldus Neuf-cha-
*De la Roche. ſtellus, *Rupis, *Eſparrei, & *Baſſeti dynaſtæ, Phili-
*De Leſparre. pus Lambrytus, & Montefortı in Germania comes. Om-
*De Baſſet. nibus his exercituique vniuerſo, Stephano Baumco (quem Admiraldi donarat munere) præfecto, ad multa millia hominum in naues impoſitos, præter Inuſiam, cuius tractus dominam, archipræſuli Patraſiò, Iniſiam, in

quod

quod ſe oppidum plurimis amiſſis locis, illa receperat, arctiſſima prementi obſidione, reconciliauit) Callipolim (quam imperatori Conſtantinopolitano parentem vrbem Amurathes inuaſerat) Amadeus tranſmiſit. Cum ad littus appuliſſet claſſis, acerrimo protinus cum barbaris, Chriſtianos magnis conatibus terra prohibere conantibus (quos inopinatus eius tantis cum copiis aduentus vehementer conſternarat) commiſſo conflictu, victor tandem excenſionem in terram facit, trinîſque circumdatam caſtris vrbem obſidet. Primi agminis cura Stephano Baumeo (cui claſſis, maritimæque oræ imperium mandatum diximus) & Caſparo Mommeurio caſtrorum præfecto, quibus Sabaudus Burgunduſq. parebat miles, demandata fuit. Alterum ipſemet Sabaudus comes (cui Eſparreus, Baſſetus & Anthonus reguli, aliique magno numero principes viri, quibus in Gallos Germanoſque milites imperium erat, aderant) ducebat. Tertio princeps præerat Methelinus, qui qua mari alluitur oppugnandam vrbem ſuſceperat. Verum cepta iam oppugnatione, cum barbari (qui vicinum vrbi collem occupauerant, neque quicquid ad impediendos hoſtium conatus excogitari poterat, ſegniter exſequebantur) Chalonio Geneuenſique comitibus, quos in ſubſidiis Amadeus cum equitibus cataphractis expertæ audaciæ quingentis, collocarat, grauem admodum crebris ex loco ſuperiore emiſſis miſſilibus, cladem inferrent, omiſſa oppugnatione laborantibus fortiterque ſeſe defendentibus ſociis opem ferre coactus fuit. Toto illo pugnatum fuit die, omniaque eadem vtrinque, quæ fuerant in priore prælio, erant, præter ani-

 mos,

mos,& victoribus ab ſecunda re auctos,& hoſtibus ſtractos. Tanta itaque barbarorum edita fuit ſtrages, vt ſanguinei vndiq. riui torrentis inſtar decurrerent, truncataque paſſim iacerent corpora. Binis iam prælijs victos barbaros grauis inceſſerat metus. Paucis ad moriendum, pluribus ad fugam animus erat: quam cum ea quæ inſequuta nox eſt, incolæ capeſſerent, oppido poſtridie Sabaudus hominibus vacuo, at rerum omnium copia referto, nemine repugnante, potitur, Michaelemque Trauenayum illi præficit. Eſt qui ſcribat, Ioannem Palæologum imperatorem Conſtantinopolitanum ſæculi huius anno LXII. coactum a Turcis aduerſus Bulgariæ deſpotam cæterumque rebellem ſibi populum auxilium petere, Callipolim, quam hactenus hypothecæ (inquit) loco habuerat vrbem, Amurathi dono dediſſe, Amurathemque eius permiſſu Adrianopoli, quam vrbem obſidione domitam, imperio ſuo ſubiecerat, ſedem fixiſſe. Hic ille eſt Amurathes, qui ſæculi eius anno LXXII. a Carbilouitio (alij Seuerianum Triballum appellant) Seruiæ deſpotæ Lazari Bulcouicij ſeruo, vt domini ſui (quem Amurathes crudeliſſime trucidarat) indignam vlciſceretur necem, vulneribus aliquot acceptis, fuit confoſſus. Eo die (in viam vt redeamus) quieti militum conceſſo, poſtero in Græciam curſum inſtituit: ſed variæ tempeſtatis ſubito exortæ violentia diſiectæ naues, cum quem ceperant curſum tenere non poſſent, varioſque, barbaris ſumma vi inſequentibus, ſubire cogerentur portus, Tenedonem tandem omnes, in quem ſe portum nauis prætoria cum duabus actuariis receperat, peruenere. Tenedone ex Conſtantinopolitani Pa-

triarchæ

triarchæ (cuius magna apud Amadeum erat authoritas) conſilio ſoluentes, Bulgariam verſus vela faciunt, quo cum ventis remiſque tandem appuliſſent, Manthopolim vrbem, ſtatim vt in terram fuere egreſſi, primo capiunt impetu, obſeſſamque deinde Suzopolim vi capiunt. Nauali inde ad portum, quem Eſtaphada incolæ appellant, cum barbaris commiſſa pugna, victores facti, & portu, in quem tutiſſimus claſſi vniuerſæ erat receptus, & nauibus hoſtilibus quamplurimis potiuntur, arcemque munitiſſimam Aſilotham deditionem facere cogunt. Hiſce victoriis clarus Amadeus miſſo ad Bulgariæ tyrannum (hominem ad omnia infidum atque importunum) fæciali, bellum illi, niſi Conſtantinopolitanum imperatorem miſſum protinus faciat, iubet denuntiari. Meſſembicô inde, pulcherrimo eo in tractu oppido, interea dum a rege barbaro reſponſum adfertur, per vim expugnato, cæſis ad vnum omnibus, qui in eo erant, vt ſociis ſuis, qui illa in oppugnatione ceciderant, parentarent, locum militi in prædam Sabaudus dat. Ad alteram inde belli huius molem animum atque arma contulit, Varna in eodem illo tractu vrbe & ſitu & opere munitiſſima, quæ Bulgaro parebat, obſeſſa. Cuius vrbis, multis diebus & laboribus conſumptis, cum haud ita facilis videretur expugnatio, poſtulantibus vti induciæ eſſent oppidanis, inducias ea dat lege, vt duodecim principes ciuitatis Andrenopolim ad Bulgariæ miſſi tyrannum, imperatoris Græci dimiſſionem vrgeant procurentque: Interea dum ab Andrenopoli legatio renuntiaretur, induciæ manerent. Plures ibi dies cũ ſtatiua haberet Amadeus, proceres aliquot ab exer-

citu

citu nonnihil digreſſi, Limenonem, amœniſſimo loco ſitam arcem, deditione vna cum oppido capiunt. Quanquam haud diu admodũ ea potiti, quod Antonio Sabaudo notho Champaignei regulo, quem loco illi præfecerant, per obſequij cultuſque ſimulationem ab oppidanis (qui variis quotidie muneribus doniſque animum eius illexerant) ex arce in vrbem & ex vrbe in inſidias, quas Bulgarus non procul ab arce collocarat, temere protracto captoque, qui in præſidio erant, eum ſaluum ſi vellent, locum tradere cogerentur. Horum procerum exemplo, cum nonnulli alij ex nobilitate Calocaſtreum occupare cogitarent, cæſis, fraude detecta, qui in ſummitatem arcis iam peruenerant equeſtris ordinis viris ſex,& ex cætera nobilitate nouem,dilapſi protinus reliqui (quos non dolor modo, ſed pudor etiam, quod temere eã rem eſſent aggreſſi angebat) ad exercitum rediere. Illis blando alloquio confirmatis, mittit ilico (haud quaquam rudis tractandi militares animos) comes (cui in ore crebro erat,armis & amori commune eſſe vt dolores innumeri gaudium breue excipiant) qui locum illum propius obſideant, ſuorumque vlciſcantur necem. Illi arce primo potiti impetu, repertos in ea mortales omnes (ita facere iuſſi) interficiunt. Reuerſi interim miſſi ad Bulgarum a Varnenſibus,referunt,non abnuere tyrannum dimittere Conſtantinopolitanum imperatorem, ſi Varnam circumſidere, bellumque in finibus ditionibuſque ſuis gerere Sabaudus deſinat. Eo accepto reſponſo, patriarcham Conſtantinopolitanum ad Bulgarum, vt de controuerſiis omnibus ſuo nomine cum illo tranſigat, Sabaudus ablegat. Ille demandato
ſibi

ſibi munere hoc fide optima perfunctus, dimiſſum a Bulgaro imperatorem Græcum Conſtantinopolim reducit. Lætitiam illius diei, concurſumque ciuitatis, & vota pene inſerentium cælo manus, quod Græciam a tyrannide Turcica Sabaudi armis vindicatam, eiuſque beneficio Ioanni imperatori vitam, & priſtini ſtatus reuerentiam dignitatemque conceſſam viderent, nemo verbis ſatis expreſſerit. Cæterum, Conſtantinopolim ipſo tandem quoque profecto Sabaudo, cum a Ioanne imperatore (qui vitam ſalutemque ſuam illi vni acceptum ſe ferre palam prædicabat) populoque Conſtantinopolitano vniuerſo, ſumma cum beneuolẽtia fuiſſet acceptus, & magna (poſtquam Deo immortali quantus maximus poterat habitus fuit honos, quod ingentem victoriam facilem etiam feciſſet) libertatis auctor per vniuerſam vrbem (variis paſſim per vicos plateaſque extremæ lætitiæ editis ſignis) fama celebraretur, ridicula quædam prorſus, ſi ſupplicij vanitatem, incognitu non indigna, ſi Græcorum perpetuam leuitatem iuuat intueri, interuenit res. Militiæ feſſa laboribus, otio voluptatibuſque (quarum fertilis ſemper Græcia) ea in vrbe nobilitas dum indulget, adoleſcens quidam inter eos, hoſpitis, ad quem diuerterat, filiæ amore captus, nocte quadam concumbere cum illa repertus eſt. Quod factum grauiter, vti par erat, puellæ ferens pater, ad Comitem rem defert, eique de grandi hac iniuria conqueritur. Benigne hominem allocutus comes, condigno adoleſcentem ſupplicio affecturum ſe promittit. Cæterum eo in vincula abduci iuſſo, poſtquam non aliam tali delicto pœnam ſtatutam intelligit, quam barbæ in

M publico

publico mortalium omnium conſpectu abraſæ probrum, eamque rem maximæ ibi ignominiæ duci loco, lætus ſummopere quod cariſſimum ſibi iuuenem, (quem de vita periclitari arbitrabatur) ſeruare, & oſtenſi nihilominus hominis Græci animo poſſet ſatisfacere, grandi eueſtigio in diuæ Sophiæ foro exſtructo theatro, deſtinatum eorum qui in amoris peccaſſent leges caute ve minus amaſſent, radẽdis barbis tonſorem accerſiri, & iuuenem ſimul, (qui capitis arceſſendum ſe putabat) in theatrum produci iubet. Officio ſuo fungi iuſſus tonſor, magno cum apparatu inſtrumenta omnia proponit, inde adoleſcenti, cui primæ lanuginis adhuc dum ætas raros pilos produxerat, toto ridente affatim foro (vniuerſa quippe vrbs ad ſpectaculum hoc accurrerat) barbam præſecat. Ridiculo hoc ſupplicio peracto, magno grauique comes & ſtupri conuictus adoleſcens, leuati vterque cura ſunt: ille adoleſcentem (cuius amicitia apud animum ſuum nihil carius habebat) vt ſeruaret, hic quam ob pollutam ſtupro hoſpitis domum, capitis ſibi pœnam imminere certo habebat perſuaſum, quomodo euaderet. Mirari interim vehementer Sabaudus Græcorum aut inſipientiam aut ſtupiditatem, quod rei pretioſiſſimæ non maiorem gererent curam, pudicitiæque virginalis violationem, rei viliſſimæ, barbæ (quæ quo ſecta ſæpius, eo plenius vberiuſque prouenit) nouacula abraſæ, præpoſtero prorſus iudicio exæquarent. Ad adoleſcentem inde conuerſo ſermone, Caue, inquit, iuuenis, in eundem hunc lapidem denuo in poſterum impingas. Quæ enim ridiculo iſto Græcorum more de te nunc ſumpta pœna eſt, pro noſtro tum ſine veniæ ſpe

vlla

vlla ſumetur. Cæterum in Sabaudiam conſtitutis in Græcia rebus, eoque confecto bello rediturus Amadeus, a * Ioanne petit imperatore, vt quando plurimas in eccleſiis Græcis cæremonias, quarum in Latinis vſus nō eſſet, vidiſſet exerceri, eccleſiæ ſe Romanæ adiungere, & ad illius eccleſiæ (a qua niſi cum graui animarum periculo haud diſſentiretur) præſcriptum Græcarum eccleſiarum cæremonias confirmando, Romano Pontifici (tanquam ſummo poſt Ieſum Chriſtum in inferiore hac viſibilique eccleſia capiti paſtorique) cultum obſeruantiamque tribuere in poſterum vellet. Promittit ita facturū ſe Ioannes Imperator: & vt comitem (cui Græcorum fidem ſuſpectam eſſe videbat, quique, niſi promiſſa præſtarentur, coacturus videbatur) in ea confirmaret opinione, principum aliquot regni ſui liberos obſides vna cum imperiali diademate (quo nihil habebat pretioſius) Peram ad eum mittit. Ex oppoſito vrbis Conſtantinopolitanæ ſita, Genuenſium imperio ea tum parebat ciuitas. Nec diu moratus, Romam, eo ſe promiſſo vti liberaret, proficiſcitur: ſed cum paucarum triremium aduerſus Amurathem, Turcarum principem, ſubſidium fruſtra a Pontifice poſtulaſſet, domum re infecta rediit. Potuiſſent fortaſſis tum, cum ſummo orbis Chriſtiani bono, duæ hæ, diuiſæ hactenus, vniri inter ſe eccleſiæ, ſi Amadeo comiti Romam venire per negotia ſua integrum fuiſſet. Facile quippe ille, qui Conſtantinopolitano tam longæ profectionis ſuſcipiendæ author fuerat, Pontifici purpuratorumque patrum collegio, ne tantilli diſpendij euitandi cauſſa, rem longe vtiliſſimam, & cum totius orbis Chriſtiani coniunctam

* *alij Alexium fuiſſe aiunt.*

bono commodoque, intermitterent, perſuaſiſſet. Sed quæ tum rei tot ſæculis, cum ſummo mortalium omnium deſiderio exoptatæ, perficiundæ oblata fuit occaſio, nunquam amplius rediit. Sabaudo quo minus cepto feliciter operi incumberet, bellum, quod illi rebus omnibus præuortendum erat, obſtitit. Barnabas enim Mediolani vicecomes, eiuſque frater Galeacius, Pedemontanum, interea dum ad Conſtantinopolim ille diſtinetur, inuaſerant agrum. Iunxerant illi ſeſe Fredericus marchio Saluſſianus, per ſpeciem vindicandæ (vti aiebat) acceptæ nuper, cum fidem ſuam Sabaudo obſtringeret, palam ignominiæ, & Philippus Sabaudus Iacobi Moreæ principis filius, mira prauitate animi atque ingenij in præcipitia conuerſus, quem aduerſus patrem Sabaudumque principem vicecomites concitarant, & in bellum hoc traxerant. Cæterum eum bellum iſtud exitum tandem habuit, vt retro vnde venerat, ad primum aduentus Amadei in Sabaudiam nuntium, cum vniuerſo milite ſuo abeunte, Lombardiamque repetente, eo qui vicecomitum exercitui præerat, ſingulari alioqui in omnibus laboribus periculiſque virtute atque induſtria & manu prompto viro (Monachum appellabant) Saluſſianus Philippuſque Sabaudus (quibus terga vertere indecorum viſum) primo impetu, quod exiguæ illis eſſent copiæ, commiſſo ad Foſſanum conflictu, ſuperarentur. Quo vix finito prælio, Philippum Sabaudum, iuuenem licet, lethalis inuaſit morbus (ex prælij illius moleſtiis, an aliunde contractus, incertum) ex quo paulo poſt viuere deſiit. Diuino (mehercule) Numine, quod ſumptis aduerſus patrem armis paternæ obſeruantiæ

cultuſque legem, peſſimo ad poſteritatem exemplo violaſſet, pœnas ab eo iuſtiſſimas exigente. Graui inde ab iiſdem illis vicecomitibus (qui Valentia Caſſaliaque oppidis captis, Aſtam obſidebant) preſſum bello Ioannem Montisferrati marchionem, cui per affinitatem erat connexus, quod amitam ille eius Margaretam vxorem duxerat, opemque ſuam extrema iam ſenectute implorantem, aduerſus vicecomitum (quorum alteri Blanca ſoror eius nupſerat) iniurias tyrannidemque, vna cum filiis tribus impuberibus, Secundino, Theodorico & Guilelmo, tuendum defendendumque ſuſcipit: poſtquam vt in gratiam concordiamque eos reduceret, fruſtra aliquamdiu laboraſſet. Accurrentibus quoque in Montisferratenſis auxilium Maioricæ rege & Galileæ principe, quos pupilli (eorũ enim pater iis ipſis diebus viuere deſierat) ſanguine quã proxime attingebãt, ſuperatus commiſſo ad Aſtam (quam Otto Brunſvichius tuendam ſuſceperat vrbem) in ipſa Duerſei amnis ripa, prælio, magnaque ex parte cæſus vicecomitum fuit miles; obſidionemque qui Aſtam obſederant, poſt varios inde vario euentu editos conflictus (quibus Montfaulconi regulus inter cæteros, cum ſummo totius Sabaudici exercitus luctu, cecidit) ſoluere coacti fuere. Vlpianumque (quod oppidum diui Benigni abbas inuaſerat) pupillis fuit reſtitutum. Hactenus quidem aduerſus Barnabonem & Galeacium vicecomites in Montisferrati marchionis gratiã, bellum Amadeus geſſerat: verum poſtquam eo illi temeritatis fuere prouecti, vt eccleſiæ Romanæ, imperiique & Ioannæ reginæ Neapolitanæ agros inuadere non reformidarent,

Pontificiis Caroliquc eius nominis quarti imperatoris (qui Aucnionem eam ob cauſſam, cum pontifice Gregorio vndecimo collocututus venerat) præficitur copiis, & ad eum vnũ (poſtquam tot per annos militum, atque hoſtium gnarus., trium illorum maximorum principum rogatu, belli illius adminiſtrandi curam in ſe ſuſcepiſſet) imperij ſumma reſpexit. Obſeſſam principio, trifariam diuiſo exercitu, vrbem Comam, & munimentis operibuſque ſeptam, ne exitus incluſis ab vrbe, neque aditus foris ad auxilia intromittenda eſſet, vi tandem expugnat, eamque vna cum arce, quemadmodum conuenerat, Ioannæ reginæ, cui antea paruerat, reddit. Pari deinde captis felicitate fano diui Yaci, fano diui Germani, Trouchano, Bourgio, Dalcſio, Magnano, Cariſio, Buronſo, Conduelio, Verrone, Caſtellamo, oppidiſque aliis aliquot, & proximo deinde vere trans Sezeum non procul ab vrbe Vercellenſi Confluentia ſanoque ſancti Angeli & Gallia, Theſinum vado tranſit, maximamque paſſim in Papienſi Mediolanenſique agro facit vaſtitatem. Sed pace cum Galeacio, qui Virtutum comitem filium ſuum, Amadei natum ſorore, ad illum ea de cauſſa miſerat, ea tandem lege facta, vt fratrem ille ſuum aduerſus Amadeum, illique confœderatos principes re nulla iuuaret, in Barnabonem bellum omne transfert. Sceleſtiſſimo, & quouis viro, nedum principe, indigniſſimo auſu, panem vinumque omne in Vicomercato oppido Barnabo vicecomes corruperat, Sabaudum ſcilicet, eo quem venturũ ſciebat, e medio vti tolleret. verum cum, detecta fraude, diui Mauricij annulum aceto Sabaudus immerſiſſet, bibere ex eo iuſ-

ſi, quos

ſi, quos venenum læſerat, priſtinam mox omnes ſanitatem (ſi veri annales) recepere. Vicomercato Bruneum (quod ad Adeam amnem ſitum oppidum) profectus, ponte ſuper eo flumine ſterni iuſſo, eoque caſtellis propugnaculiſque vtrimque duobus munito, Mappelium & Carmoſum arces expugnat. Quibus obſidendis intento Amadeo, ponti Adeano impoſita caſtella Barnabo vicecomes ſumma vi oppugnat. Cæterum fortiter ſeſe defendentibus obſeſſis, vbi Amadeum comitem cum maximis copiis appropinquare cognoſcit, ſoluta protinus obſidione, Mediolano timens, diurnis eo nocturniſque itineribus contendit. Quam quidem vrbem Sabaudus tum obſediſſet, ſi auxilia quæ a Pontifice Coutij adducebat regulus interſepta, Iuelique amnis tranſitu prohibita non fuiſſent. varias enim eo loci Barnabo foſſas duxerat, additis cataractis, quæ clauſæ aquam ſiſterēt, funibus autem ſubductæ, vectibuſve leuatæ, tantam derepente aquarum totum eum tractum inundantium effunderent vim, vt tranſiri nullo modo foſſæ poſſent. Hærentem in ſolo Mantuano militem pontificium, & vlterius progredi haud auſum, dum maximis copiis patrui ſui Barnabonis iuſſu, Virtutum adoritur comes, fortiterque ab eo fidei illi violationem exprobrante repellitur; Sabaudus via ſibi incepto forti, opportunitatē ſpeculatus, per Moncleriam foſſam (qua ſola patebat tranſitus) cæſis fugatiſque queis hoſtis eius loci, ad quem non ita facilis erat acceſſus, cuſtodiam delegarat, facta, Bononiam venit, pontificiiſque ſe iungit. obſtupeſcentibus plurimum ad præclari immortaliſque illius facinoris famam mortalibus omnibus. Iunctis

ibi copiis, cum ex Placentino Parmenſique agro ingentem confœderati egiſſent prædã, & magnas ſibi quiſque paraſſet opes, captum de obſidenda Placentia conſilium, grauis, quo Sabaudus ſubito corripitur morbus, interrupit. Mutinam itaque lectica militari eo delato, in Galliam Coutyus, cæteri eo vnde venerant, (nam æſtatis extremum erat) redierunt. Diximus paulo ante, Carolum eo nomine imperatorem quartum Pontificemque Auenione inter ſe collocutos. Is ab eo colloquio in Germaniam rediturus, cum facto per Sabaudi (qui viribus corporis receptis, in Sabaudiam iam reuerterat) ditiones itinere, ſingulari cum beneuolentia ab eo fuiſſet acceptus, habituſque; Sabaudo ditignum ſuarum omnium, in pleno ad Chamberium principum aliquot Electorum, legatorũque, qui a variis miſſi regibus proceribuſque, illi tum forte aderant, conſeſſu, auguſto inſignis ſolio habituque, dominium imperiali authoritate confirmauit, poſtquam quæ clientium imperij partes ſunt, plene ille imperatoriis aduolutus genibus impleuiſſet. Scribit Iulianus Taboetus imperij eum vicarium ab eodem illo imperatore principemque renuntiatum, quod ditiones ſex, Chablaiſium ſcilicet, vallis Auguſtæ principatum, Suſam, Sabaudiam, Valeſium, & tractum Geneuẽnſem, ſtabili ac ſupremo iure poſſideret. Mutina in Sabaudiam, poſt Piſanam vrbem, vicecomitum eorundem vexationibus infeſtationibuſque, milite eorum cæſo profligatoque, liberatam, reuerſus Amadeus, de Saluſſiano marchione Frederico (qui eius abſentis agros inuaſerat) vlciſci ſe conſtituerat, niſi Galli regis authoritate diſſidio illo ſublato, in gratiam illi inter ſe rediiſſent.

Cum

Cum in eadem tempora hæc Ioannis Fliſchij præſulis Vercellenſis (qui in arce Moioneta ab Hibleto Chalantio , equeſtris ordinis viro , ad Biellei oppidi ciuium preces diligenti cuſtodia aſſeruabatur) incidiſſet captiuitas, & vicecomites Montisferratique marchio , proceresque in eodem tractu alij nonnulli quantum quiſque poterat, epiſcopatui detraherent,miſertus præſulis optimi,& ſuam miſere implorãtis opem, Amadeus comes, militum aliquot cohortes Bielleum (cuius iam oppidi partem vicecomites occuparant) mittit. Quorum inopinato aduentu,territo dilapſoque mox vicecomitis milite,ab oppidanis in vrbem Sabaudus ea intromittitur lege, vt oppidi in ſe ſuſcepto imperio, annis totis triginta ſub præſulis ſui poteſtatem eos haud redire , vicecomitibuſve (qui ſuperbo atque immodico imperio deſiderium eius fecerant) tradi pateretur. Biellienſium ſequuti exemplum vallis Andornenſis incolæ , quique Boxium,Morteillanum,& Moxium montes habitant, Amadeo ſe, Vymaillica & Verruca arcibus illi traditis, ſubmiſere. Amadeus ſupremo ſibi ea in loca dominio retento,quod in epiſcopi haud eſſe poteſtate videret,aduerſus finitimorum iniurias ea tueri, prouentus annuos omnes fructuſque præſuli permiſit. Bellum quod tempeſtate hac inter Venetos Ligureſque ſeu Genuẽſem populum propter Tenedum Græci ſoli inſulam , infeſtiſſimis geſtum animis,Amadei huius ſingulari cura, anno ex quo vltimo inter eos bellatũ fuit ſexto , pace inter prouincias illas facta , fuit ſublatum, Tenedoſque cum vtriuſque populi conſenſu Sabaudo eiuſque poſteris in perpetuum ceſſit. Conia quoque ciuitas, Ioanna regina

Neapolitana (cui hactenus paruerat) fato tum functa, ſua ſe ſponte Amadei permiſit imperio. Idem & ſani Marthiniani, Caſtelmontiique fecere comites. Enimuero ad iuſtam & quæ armis ferendis eſſet idonea ætatem Amadei huius filius Amadeus iam peruenerat. Breſſano itaque eum comitatu, baronatuque Baſgeo, vt vnde pro conditione dignitateque ſua, ſe viuo, vitam agere poſſet, haberet, pater donat. Quo lætus dono adoleſcēs, actis patri gratiis, vtriuſque prouinciæ proceres, nobilitatemque omnem ad ſe, fidem ſibi ſuam iureiurando vt obſtringant, venire iubet. Euocatus inter cæteros Eduardus Beauieuſij, Beauioloiſij, & Foreſti regulus, cum parere negaret, bellum illi protinus, conniuente clam, imo (vt nonnulli autumant) iubente patre, Amadeus mouet, Beauregardiamque, ad Atarim fluuium ſitam arcem Lermumque primo impetu capit. Induciis deinde biennalibus (in quas ad Burgundi Borboniique ducum preces Amadeus conſenſerat) finitis, cum de pace
*Cuyſſeiū. fruſtra fuiſſet actum, Thoyſeyum vi Sabaudus capit: qua re conſternati vehementer quibus arcis concredita fuerat cuſtodia, vitam incolumitatemque pacti arcem dedunt. Idem qui Montmerlium tenebant, faciunt. Aderant eo bello Amadeo Petrus comes Geneuenſis, Hugo Chalonius, Ioannes Philippuſque Montbeliardi, regulus Sanctacrucius, & Gautherus Viemenſis, magni omnes nominis proceres. Locis illis potitus Amadeus, cum promotis caſtris, Chalomontium, principem eo in tractu ciuitatem, effugiis inſeſſis omnibus, graui obſidione premeret, veritus Eduardus, ne eo quoque amiſſo loco deterioribus longe conditionibus pacem facere cogeretur,

geretur, reconciliandæ cum Amadeo gratiæ viam quærebat. Ludouicum itaque Borbonium adit ducem (erat is Amadeo auunculus) promittitque, ſi eo authore cum Amadeo in gratiam redire queat, & liberos ſibi naſci non contingat, teſtamento ſe eum hæredem ſcripturum. Obſequutus auunculi voluntati Amadeus, recepto in gratiam Eduardo, adempta eo bello loca omnia (Beauregartio ſolo excepto caſtello, quod in Amadei huius Breſſani quamdiu vixit manſit poteſtate) poſtquam clientis officium impleſſet, reſtituit. Sunt qui ab Eduardo hoc hæredem Borbonium inſtitutum ſcribãt, quod ob leuia quædam iuueniliaque delicta, in carcerem Lutetianum coniectus Eduardus, Borbonij opera priſtinam dimiſſus libertatem recuperaſſet. Cæterum ad Amadeum hunc noſtrum illius patrem vt redeamus, in Neapolitano ille ſolo, ad diui Stephani fanum annis iam grauis, dum Ludouico Andium duci aduerſus Vrbanum, qui ſextus eo nomine pontificiam tum (pleriſque ex purpuratis patribus, qui Gebennenſem cardinalem, cui Vrbano ſeptimo nomen inditum, illi ſubſtituere, reclamantibus) adminiſtrabat ſedem, opitulatur, oppidis nonnullis iam captis, poſtridie calendas Martias poſt natum Dominum anno MCCCLXXXIII. cum magno exercitus totius luctu, fato an veneno (quod quidam opinantur, qui vna cum Andium duce, ingentique militum equorumque multitudine, fontanæ aquæ, quam veneno hoſtis corruperat, hauſtu exanimatum ſcribunt, decedit, & Altecombam deportatur. Amadeo filio (diui Mauritij ad eum, per Caſparem Montmeurium primæ nobilitatis virum, miſſo annulo) tanti prin- MCCC-LXXXIII.

cipatus opumque, quas a maioribus traditas habebat, & ipſe longa imperij poſſeſſione cumulauerat, ſucceſſore relicto. Funus per laudes & memoriam virtutum eius celebre fuit. In Palæſtinam eo finito bello princeps optimus, Chriſtianæ ibi religionis proferẽdis pomœriis, proficiſci conſtituerat, ſacroque illi bello fortunas ſuas omnes vitamque ſimul deuouerat, & Pontifex Andiuſque ingentem ſe, ſuis ſumptibus inſtructam paratamque claſſem, & militem, cui ipſi ſtipendia præberent, ſubſidio miſſuros promiſerant. ſed deſtinata ſalubriter, omni ratione potentius fatum, diſcuſſit, ſupremoq. Numini, a cuius vnius nutu res mortalium dependent, aliter tum viſum fuit. Miror ſummopere, quid Paulo Æmylio, præclaro alioqui Gallicarum rerum ſcriptori, in mentem venerit, ſcribere, Amadeum hunc (cum ipſum enim eſſe oportuit, quod rerum per Sabaudiam is tum potiretur.) prælio eo quod ad Creſciacum anno MCCCXLVI. commiſſum fuit, regi Gallo ſuppetias tuliſſe, poſtremique agminis fuiſſe ductorem: cum in confeſſo ſit Sabaudo id temporis ætatem militiæ nondum patientem fuiſſe. Sed in huius rei mentionem quando deſcendimus, lubet obiter hic triſtiſſimum luctuoſiſſimumque illum Caletenſis oppidi incolarum (qui in hæc ipſa incidit tempora) commemorare caſum. Pugna illa, quæ ad x. cal. Septembreis, quãtum nulla alia, tot nobiliſſimis clariſſimiſq. cæſis ducibus, funeſta Gallis, (quorum maximas copias parua Anglorum fudit manus) patrata fuit, victor Angliæ rex Eduardus Caletum protinus obſidet. Oppidum hoc eſt maritimum in confinio Picardiæ, Geſſoriaco (quam Bononiam nunc

nunc appellant vrbem) finitimum, quod Itium olim portum (vnde commodiſſimum e Gallia in Britanniam traiectum fuiſſe prodidit Cæſar) plerique fuiſſe exiſtimant. Ea oppugnatio parum cum procederet, vallo foſſaque caſtra munire hybernaculaque (excita domo vxore) ibi ædificare Eduardus rex cæpit, & ad exercitum in hybernis ipſe permanſit. Vndecimum iam menſem tenebat obſidio, & Franciæ rex Philippus, prouocato nequicquam ad pugnam æquo loco committendam Anglo, quod per munitionem hoſtium ad obſeſſos peruadere haud poſſet, præſidij tantum ſpem oſtenderat: deditionis capere conſilia oppidani, vbi intelligunt omnes ſuas fortunas in extremo ſitas, hoſtem infeſtum, auxilij ſpem nullam, penuria rerum neceſſariarum bellum trahi non poſſe. ſed iratus ab longinqua obſidione rex Anglus, grauiſſimas imperat conditiones: Ni ferro igñique miſceri omnia vellent, ſex ciuitatis primores ad ſupplicium producerentur, cæteri oppidani cum ſingulis abirent veſtimentis. Cum ploratu lamentiſque & planctibus tota vrbs perſonaret, & in ſenatu ciuitatis, inter indignitatem neceſſitatemque (ferro enim an fame acrius vrgerentur, incerti erant) animi ancipites diſtinerentur, ſilentiumque ac torpor (inquit Æmylius) cæteros defixiſſet, qui eorum primus ſedebat (erat is Euſtatius a fano Petri) ſurrexit, ſeque iræ hoſtium offerre ac patriæ vitam condonare profeſſus, æmulationem pietatis reliquis iniecit. Surrexere eius mox exemplo Ioannes Ariacus, Iacobus & Petrus Wiſſanthonij fratres (reliquorum duorum, cum inſigni poſteritatis iniuria, ignorata hactenus nomina) primi potentiſſimique ciuitatis,

& ſanguine inter ſe iuncti omnes. Hi reſtem collo, oppidi claues dextra ferentes, in amictu interiore, capita pedeſque nudi ad pœnas producti, necari a rege iubentur. Attoniti tam atroci imperio duces nobilitaſque cætera, monere orareque regem, ne magis iræ quam famæ dignitatique conſulendo, tantam victoriam crudelitate macularet. magnam eam rem illi inuidiam conflaturam, verſurumque fortaſſis aliquando, vt res humanæ ſunt, in Anglos exemplum, ſi obſeſſis & fame domitis, fæda etiam mors oppetenda ſit. Cum in ſententia rex perſtaret, lictoremque agere iuberet, Philippa regina, Guilelmi Hannoniæ comitis filia, vterum gerens, productos eos reſteque illigatos forte vt vidit, mariti regis aduoluta genibus, vti iræ moderaretur, hominumque illorum (quorum, mehercule, in contemnendis ac deſpiciendis pro ciuium ſalute periculis, virtutem pietatimque, nulla erit tam ſurda poſteritas, nulla tam ingrata fama, quæ non in cælum debitis laudibus ferat) vitam ſibi condonaret, multis ab eo lachrimans verbis contendit. Diu rex grauidæ caræque coniugis precibus repugnauit: victus ad vltimum, voluntati eius permiſſos e conſpectu ſuo faceſſere protinus iubet. Illa fortunæ eorum miſerta, receptos in ſedes ſuas, laqueis ſublatis, accurate & liberaliter, præbitis etiam epulis, habet, & ſenis deinde ſingulos nobilibus aureis veſteque donatos, extra caſtra, præſidio aduerſus militum iniurias adhibito, deduci curat. Ioannes Viennenſis præſidij Gallici præfectus, cæterique duces, in Angliam pecunia redimendi captiui abducti ſunt. Oppidani laribus fortuniſque omnibus relictis cum ſingulis veſtimentis, cultu quam maxime

xime miſerabili, alias quæſituri ſedes, poſt cibum captum oppido exceſſere. Triſte profecto, & cui a multis retro ſæculis, nullum in Chriſtiano orbe hoc ſimile viſum ſpectaculum. Pari periculo, at impari præmio, primi poſtremique ciuium erant. Illis hoc in Galliis beneficij conceſſum, vt cæteris omnibus prælati (ita enim rex iuſſerat) ad vacuos poſſeſſoribus honores dignitateſque eueherentur. At miſerrimæ plebeculæ non eadem publice habita ratio. Multi priuatim extorrium domo penatibuſque miſerati caſum, ſuis eorum inopiam facultatibus ſubleuarunt. Deditione Caleſio, vndecimo menſe quam oppugnari cœptum erat, hunc in modum potitus Anglus, tribus tantum extrema ætate ex veteribus retentis incolis, ſacrifico nimirum, & duobus qui iurium conſuetudinumque loci gnari erãt, nouam protinus Anglorum coloniam in eam vrbem deduxit. Triginta ſex ex opulentiſſimis Londinenſis vrbis mercatoribus, præter ingentem aliorum hominum (qui magno numero, quod plurimis maximiſque locum illum rex immunitatibus iuribuſque donarat, accurrerant) multitudinem, cum familiis ſuis vniuerſis eo loci commigrarunt. Annis fere ducentis & duodecim Anglis Caleſiũ paruit; donec tandem Franciſcus Guiſij dux, ſui ſæculi ducũ nõ poſtremus, flexo ſub anni milleſimi quingenteſimi quinquageſimi octaui principiũ, præter mortalium omniũ exſpectationem, ab eo quod inſtituere ſimularat, ad locũ illum, opinione citius, itinere, Niculayo & Risbano, munitiſſimis, illud terra, hoc mari arcendo hoſti propugnaculis, & arce tandem ipſa, ſumma celeritate (facto non conſulto in re tali opus eſſe ratus) expugnatis,

gnatis, Dunſortium nobilem Anglum, loci præfectum, quibus ipſe vellet conditionibus (inter quas vt Angli omnes oppido abirent, nam idem olim Angli factitatant) deditionem facere coëgit. Tentarat quidem eam ipſam rem, ſæculi quod proxime hoc noſtrum anteceſſit, anno XXXVI, ingenti Burgundiæ dux Philippus conatu apparatuque: & magna eum victoriæ tenebat ſpes. ſed cum milite Flandro (qui tumultuario delectu eductus, diuturnioris impatiens moræ, domum redire geſtiebat, neque imperio authoritateque, neque gratia, precibus aut precio in officio cōtineri poterat) quia plus illi moleſtiarum quam cum hoſte ipſo erat, obſidionem, princeps laudis gloriæque auidiſſimus, cum ſumma animi ægritudine, ſoluere coactus fuit. Duodequadraginta poſt annis Albertus Auſtriæ archidux, Rodolphi imperatoris frater, Belgicæ ab Hiſpaniarum rege Philippo præfectus, cum inferendo Anglis bello oportunum maxime locum illum eſſe animaduerteret, eadem qua Guiſius dux ſimulatione celeritateque vſus, inceptoque ſuo occultato, haud diu admodum obſeſſum, ſingulari fortitudine, mortalibus omnibus admirantibus, ſæculi huius anno XCVI. ſuæ fecit poteſtatis. Res enim trepidæ, metus ingens, malum improuiſum oppidanos vti deditionem facerent coëgere.



Bona Borbonia, Petri & Ludouici Borboniȳ ducum, illius filia, huius ſoror. Cogitarat Guilelmus Baumens vxorem Amadeo dare Odonis Burgundiæ ducis filiam: ſed quod liberis procreandis per ætatem nondum illa eſſet idonea, ad patrem cum honoratiſſimo comitatu remiſſa fuit.

Amadevs eo nomine ſeptimus Sabaudiæ comes.

Ioannes Patriarcha Conſtantinopolitanus & decanus ad diuum Apollinarem. Eius pauci meminere.

Ludovicus. Huius quoque rara mentio.

DE AMADEO EO NOMINE COMITE SEPTIMO.

Amadevs ſeptimus eo nomine, Sabaudiæ comes duodecimus, Ruber dictus, ætatis anno viceſimo tertio Amadeo patri ſuccedit. Cui poſtquā iuſta magnifice more recepto fecit, Theodorico Marchioni Montisferratenſi, quod * Yureenſes ille & Coriuayeos aduerſus abſentem concitaſſet, bellum mouet, ſubditoſque illos, ſumpto de conſciis ſupplicio, arceque Coriuaya deleta, in officio continuit. Cum Sedunenſibus ob pulſum epiſcopali ſede Eduardum Sabaudum Philippi Moreæ principis filium, graui quoque geſto bello, Eduardum, Seduno vrbe expugnata, arcibuſque illi imminentibus Moria & Turbillone deditione captis, priſtino loco reſtituit. Eius quoque ſucceſſori Humberto Fillienſi rebellem Valeſienſem Sedunenſemque populum, ſumptis in Guyeri comitis (qui præſuli patruus auunculuſve erat) gratiam armis, parere cogit. Qui poſt

Yures aut Ynore.

Paradinum Taboetumque ex profeſſo hiſtoriam hanc tractantes, de Sabaudicis obiter ſcripſere rebus, nulla poſterioris huius rebellionis facta mentione, prius illud bellum, reſtituto Eduardo, feliciter primò ceſſiſſe tradunt: verum illo denuo (vti aiunt) deiecto deturbatoque, cum bellum Sabaudus redintegraret, a Sedunenſibus, Valeſiiſque ſub ſalutis annum MCCCLXXXVIII. victus fugatuſque ſupra quatuor hominum armatorum millia amiſit. Penes authores fides ſit. Fredericum marchionem Saluſianum, qui fines eius cum magna hominum manu populabundus inuaſerat, locaque iam aliquot occuparat, ſaniora protinus capere conſilia coegit. Nicea inde Inſubrumque principatu, a ciuibus ipſis vltro delato, ſine cæde & ſanguine potitur. Indicto ſiquidem in eam rem concilio, cum opinionibus inter ſe populus Niceanus, cui a Ladiſlao rege Neapolitano deſtituto rectore opus erat (alij Lancelotum Duraſſium fuiſſe, & Niceanum populum ab eo defeciſſe ſcribunt) variaret, & circa conſilium eligendi ſucceſſoris, in plures factiones ſcinderetur, pleriſque ducis Genuenſis, aliis Delphini Viennenſis, nonnullis Virtutum comitis imperium cupientibus, Ioannes tandem Grimaultus Bueli regulus (qui priuatæ gratiæ aditum apud Sabaudum quærens, Sabaudum longe potentiſſimum, cuius vnius virtute aduerſus mortalium omnium iniurias facile tuti forent, cæteris omnibus præferendum cenſebat) partim, conſilio, partim precibus euicit, vt miſſis ad Sabaudum legatis, ſponte ſua in eius ditionem imperiumque concederent. Idem & Lozierſij & vallis Sturianæ fecerunt incolæ, & boni fideleſque ſemper manſere. Sed rebus ad

MCCC-LXXXVIII.

Niceam

Niceam conſtitutis, Buellioque prouinciæ illius Satrapea donato, cum domum reuerſus Amadeus, ad venationem (quo ſe exercitij genere frequenter curarum vacuus oblectabat) denuo rediiſſet, oblatum forte fortuna aprum, vehementius, admiſſo equo, dum perſequitur, in terram, equo ceſpitante, prolapſus, graue in femore dextro vulnus accipit: quod dum negligit, vxoriſque, quam grauidam tum fecit, nihilominus indulget amplexibus, graui correptus morbo, & vulnere debilitatus paulo poſt (medico qui ex Africa Borbonium ducem comitabatur, nequicquam bene ſperare iubente) calendis Nouembribus, anno ſæculi eius XCVII. moritur, & in Altecombano monaſterio ſepelitur. Plurimis barbari illius circumforanei medici ſuſpecta vehementer fides fuit, corruptumque eum exiſtimabant, quod dum caput Amadeo raderet, pellem locis aliquot incidiſſet, eaque exulcerationi illi adhibuiſſet medicamenta, quæ deteriorem indies Amadei valetudinem facerent, ipſomet Amadeo peſſimi ſceleſtiſſimique medici perfidia perire ſe ſubinde clamitante. Sed comprehenſus ille, & ex vinculis cauſſam dicere iuſſus, ita ſeſe expurgauit, vt nullius conuictus ſceleris Sabaudia decedere iuberetur. Otto quoque Granſſonius, primæ inter Sabaudos nobilitatis, acceleratæ Amadeo comiti mortis ſuſpicione haud caruit, quod medicum illum in Burgundiam curaſſet deducendum. Sabaudia itaque, Gallia, Burgundia, Germaniaque exulare coactus, in Angliam conceſſit.

MCCCXCVII. *Variat hic Paradinus, qui nũc anno XCI. nunc XCVII. eũ deceſſiſſe ſcribit.*



BONA *Biturica Ioanni Franci Biturigum ſeu Berry ducis filia, Bernardi Armignaci (cui filiam, Carolo Aurelianenſi duci nuptam, pepererat) vidua. Quæ Amadeo ſuperſtes, Ioanni Borbonio duci eo nomine primo, tertio matrimonio iuncta fuit. Sunt qui Annam eam appellent.*

AMADEVS *patri ſuccedit.*

BONA *vxor Ludouici Sabaudi Moreæ principis.*

IOANNA *poſthuma, Iacobi Ioannis Montisferrati marchionis & Italiæ præſidis coniunx.*

DE AMADEO EIVS NOMINIS OCTAVO, DVCE PRIMO.

MCCCLXXXIII. NATVS anno a virgineo partu MCCCLXXXIII. ſuperſtite adhuc auo paterno Amadeo ſexto, Amadeus qui eius nominis octauus dictus fuit, Amadeo patri ſæculi illius anno XCVII, diui Mauricij accepto MCCCXCVII. annulo ſuccedit. Sed patrem puer quod amiſiſſet, Bona Biturica, matrona optima prudentiſſimaque filij & totius ſimul comitatus curam in ſe ſuſcipit, altercantibus nequicquam de ea inter ſe Bona Borbonia pueri auia, Ludouico Sabaudo Moreæ principe (qui ſororem eius vxorem duxerat) & comite Geneuenſi, qui vna cum Philippo Burgundiæ duce (cuius ſumma tum apud omnis ordinis homines erat authoritas) & pueri tutelam & comitatus ipſius adminiſtrationem certatim ad ſe omnes trahere; ſed præ cæteris Bona Borbonia, quæ in ſuis manibus nepotem educari conuenire affirmabat. Ea res, fœmineum imperium pleriſque auerſantibus,

maximis

maximis deinde diſſidiis diuiſionibuſque occaſionem præbuit. Neque antequā principatus in ſe curam Amadeus (Maria Burgunda, quam infanti infantem parentes deſponderant, vxore ducta) tranſtuliſſet, tumultus illi conquieuere. Poſtquam enim principis per ſe munia obire cepit, tam gratum acceptumque mortalibus omnibus eius fuit imperium, vt nemo eſſet ſubditorum, qui non felicem beatumque tali ſe principe prædicaret. paribus quippe inter ſe lenitate grauitateque eam potentiam ita moderabatur temperabatque, vt neque facilitas contemptibilem, neque formidabilem odioſumve faceret ſeueritas. Scribit Guilelmus Paradinus (obiter enim id annotandum hic putaui, vt qui diuinum nobis Numen grauiter videmus offenſum, eā ipſam eius placandi, niſi malis noſtris immori velimus, viam tandem aliquando, quam populus hic, ineamus) maximis ſub hæc tempora Italiam vicinaſque regiones vexatas fuiſſe calamitatibus, maxims afflictas miſeriis, dum grauis hinc peſtilentia ſubitæque mortes, illinc ciuilia infeſtiſſimis exercita odiis bella, & eccleſiam fœde deformantia paſſim graſſantur ſchiſmata, quæ omnia dirus rubeſcenſq. cometes, viſæque paulo ante cœleſtes faces (magnarum ſemper calamitatum prænunciæ) portenderant. His auertendis ab irato immiſſis plagis Deo, iratoque Numini propitiādo, cum ſupplicationes in vrbibus oppidiſque, & per fora omnia conciliabulaque eſſent indictæ, immenſam mortalium ciuitates oppidaque in alba paſſim veſte circumeuntium, & vicina adeuntium loca, videre erat multitudinem, perduellioniſque diuinæ arceſſebatur, quicunque eo ſumpto habitu cæteris ſe non

aggregaſſet. Ex panno lineo albo ea facta veſtis,ad imos defluebat pedes, faciemque ex eodem capitia velabant panno. Nullum per vniuerſam Italiam Pedemontanumque agrum hominum erat genus, nulla ætas quæ illi ſe pœnitentiæ generi ſponte non obſtrinxiſſet. Incedebant eo paſſim triſti habitu proceres fœminæque principes, & reliqua vtriuſque ſexus nobilitas vniuerſa: incedebant pueri ſeneſque: incedebant nuptæ innuptæque: incedebant denique propiore etiam religione, epiſcopi præſuleſque, & reliquus clerus omnis: neque erat quiſquam qui præcipuum ſibi quid in hoc rerum ſtatu arrogaret, aut ab hoc ſe vitæ genere eximi cuperet. Erat quippe in pari communique calamitate, par omnium luctus; par quoque ſcelerum, quibus diuini in ſe Numinis iram prouocarant, admirabili & hactenus per Italiam inaudito pœnitentiæ genere, deteſtatio: adeo vt menſibus totis tribus, quibus piis hiſce actionibus fuit immoratum placãdo Deo, certatim omnes odiis inimicitiiſque poſitis, cultu, qui inter omnia vilitate notabatur, incumberent, liteſque & forenſis ſtrepitus omnis toto eo tempore, tanquam religioſo, ceſſaret. Sed ad inſtitutum nunc redeamus. Diximus cum de Amadeo eius nominis quarto ſcriberemus, equites ſodalitij Ioãnitani, qui in Templariorum equitum bona ſucceſſerant, illum ipſum Amadeum, quod eius potiſſimum ſingulari fortitudine, Rhodus inſula vna cum vrbe in Chriſtianorum conceſſiſſet poteſtatem, ædibus iis, quas in Lugdunenſi vrbe Templarij poſſederant, donaſſe. Eas ipſas ædes, Sabaudicas ab eo tempore appellatas, Amadeus tandem hic in diui Petri Celeſtini (cuius paulo ante in-

te in diuorum relati numerũ, memoriam religioſiſſime colebat) gratiam ſodalitio Celeſtino, quod illa tempeſtate cepit, donat, Ludouicoque imperat filio, vt ædem eo loco ſacram, & pauculis, quos eo euocarat monachis commodam exſtruat habitationem. Cæterum quem aureorum ſeptuaginta quinque annuum monachis illis reditum Amadeus hic conſtituit, magnum hic, Ludouici filij eius, qui & monaſterij ipſius pomœria protulit, beneficio, accepit incrementum. Amadeo eius iam facto ætatis, vt ferendis armis eſſet idoneus, accidit vt Ioannem præſulem Leodicenſem epiſcopatu populus Leodicenſis pelleret, pulſumque armis porro (Pierweiſij reguli filio illi ſucceſſore dato) perſequeretur. Quam illatam fratri ſuo a ſubditis contumeliam cum grauiter Guilelmus Hannoniæ ferret comes, Ioannis protinus Burgundiæ ducis (qui vtriuſque ſororem, vxorem duxerat) opem aduerſus Leodicenſes implorat. Suſcipit defendendum Leodicenſem Burgundus, Amadeoque (cui ſororem ſuam Mariam collocarat) vt miſſis ſuppetiis in belli illius communionem veniat, author eſt. Non exiguum eius confœderationis fructum ſenſit Leodicenſis. Cæſo enim eo quod ad Tungros nono calendas Octobreis ſalutis anno MCCCCVIII commiſſum fuit MCCCC-VIII. prælio ipſomet Pierweiſio, totius illius tragœdiæ authore, eiuſque filio (qui Leodicenſem ſe præſulem nominabat) vna cum Salmeſij in Arduennis comitis filio, & ex Leodicenſi populo (qui maximam victoriæ fiduciam in numero repoſuerat) ſupra viginti octo millibus, debellatum protinus, Bauaruſque in priſtinum reſtitutus fuit locum. Amadei Virij (quem ſpectatæ militiæ,

tiæ, ex primaria inter Sabaudos delectum nobilitate, copiis, quas Bauaro ſubſidio miſerat, Sabaudus præfecerat) cæteræque nobilitatis Sabaudicæ ſingularis & prope incredibilis in conflictu hoc apparuit virtus: quam admiratus Burgundus, Virium, ampliſſimis inuitatum ſtipendiis, apud ſe vna cum trecentis ex Sabaudica delectis iuuentute retinuit, & prætoriæ aſſcriptos cohorti, corporis ſui adhibuit cuſtodiæ. Demonſtratum paulo ante fuit, quo iure Ludouicus bonus Borbonij dux Beauioiſio, Dumbarumque, poſt Eduardum poſtremum eorum locorum dominum, potitus ſit principatu: reſtat nunc, vt quomodo ea res latenti inter Sabaudum Borboniumque diſſidio occaſionem præbuerit, dicamus. Exiſtimabat Borbonius Dumbarum ſe principatum, quod terrarum Romano imperio ſubiectarum finibus contineretur, ſupremo poſſidere iure; neque fidem ſuam vlli mortalium eius ergo obſtrinxerat. Sabaudus ex aduerſo eius loci dominium ſummum ad ſe trahere, & Borbonium, niſi principem ſibi locum earum poſſeſſionum intuitu & fidem ſimul ſuam deferat, non aliter ad dominatus illius communionem admittere: diſſimulare tamen interim, quod Bonam Borboniam, Ludouici ducis ſororem, auiam paternam habuiſſet. Cæterum dum hæc inter vtrumque principem ſerpit paulatim controuerſia, Amadeus Virius (is ipſus cuius paulo ante mentionem fecimus) Ludouico Borbonio duci bellum ſuo priuatim nomine, fæciali ad eum miſſo denuntiat; omnibus admirantibus mortalibus, quod ſolis vſitatum proceribus in bellis indicendis conſuetudinem homo priuatus, & nulla ex parte cum tanto principe

cipe conferendus ſibi arrogare fuiſſet auſus. Maiorem ea res odio, quod aduerſus Amadeum ſororis ſuæ nepotem Borbonius conceperat, occaſionem præbuit; præſertim cum loca iam caſtellaque aliquot in Beauioiloiſio & Dumbarum tractu expugnante Virio, in ſuſpicionem veniſſet, Virium (cui ad exercitum conſcribendum vires opeſque deerant) non niſi conſcio, imo inſtigante clam Sabaudo eam rem auſum aggreſſumque. Alij Ioannis Burgundi ducis (qui ob exortas iam pridem inter Burgundicam Aurelianenſemque, cui fauere clam Borbonij, familias, grauiſſimas diſcordias, quibus prope ad vltimum dimicationum ventum eſt, Borbonio infenſi erant) clandeſtinis conſiliis, Virium eo progreſſum audaciæ exiſtimabāt. Vt vt eſt, Burgundi principis longe potentiſſimi ſubnixum fauore, ea Virium, haud clam Sabaudo (ex quo ſpes opeſque eius penderent) conatum, propius vero eſt. Ceterum qui ſuſceptorum temere ab hominibus fortunæ anguſtioris, aduerſus potentiores, conſiliorum exitus fere eſſe ſolet, idem horum quoque fuit. Borbonius quippe cum expedita aduerſus Virium profectus manu, loca ea omnia quæ ille ceperat, ſibi denuo (Virio in Breſſios, eius haud exſpectato aduentu, profecto) ſubijcit. Et Sabaudo (vtrique iuxta infeſtus) niſi Virius ſibi dedatur, bellum illaturum ſe minatur: vt dederetur a Sabaudo (qui belli illius culpam omnem a ſe remouit) obtinuit; ea tamen lege, vt inſtar bello capti habitus, vbi Borbonio de damnis & iniuriis eo illi bello illatis ſatiſfeciſſet, dimitteretur. Diſſidio illo inter Borbonium Sabaudumque ſublato, quæ de fide clientelari, quam

P a Borbo-

a Borbonio Sabaudus poſcebat, reliqua inter eos erat controuerſia, ea Betrij ducis (quem ipſum Sabaudus auunculum habebat) arbitrio authoritateque compoſita ex vtriuſq. voluntate fuit, Borbonij filio Clermontij comite, fidem ſuam pro Ludouico patre, Sabaudo (vt Franciæ habent annales) obſtringente. Sed non diu admodum ea concordia ſtetit. Carolo enim eius nominis ſexto Galliarum regi cum Caroli ducis Aurelianenſis confœderatorumque eius ſuſpectæ vehementer eſſent actiones, ſiniſtrique aliquid aduorſum ſe illos moliri plane haberet perſuaſum, euocatis ad ſe amiciſſimis quibuſque, iiſque quorum ſummam in ſe voluntatem egregiamque fidem perſpexerat, erat inter hos Burgundiæ dux Ioannes, & Amadeus hic noſter, qui equites cataphractos quingentos, quibus Amadeum Virium (in cuius adhuc hominis animo, ad contumeliam inexperto, recentis ignominiæ, nuperrima illa captiuitate acceptæ, memoria, vindictæque ſimul hærebat deſiderium) præfecerat, ſecum adduxit, cæterique Burgundicæ factionis proceres, ex eorum conſilio, qui Aurelianenſis Borboniique ducum agros depopulentur, eorumque ſubditos, vrendo tecta ſataque, vexent, mittere ſtatuit. Amadeo Virio Fierbourgioque regulo ea data prouincia fuit. Illi non ſegniter imperata facere, & quacunque pergerent, agros, domos, homines, vaſtare, vrere, cædere, & eo quidem infenſius, quod Borbonius in agro Charoloiſio idem paulo ante factitaſſet, Burgundi nimirum odio, quod maior eius vnius tum apud regem & per vniuerſam Galliam, quam cæterorum regij ſanguinis principum omnium eſſet authori-
tas.

tas. Quæ res cum Berrio, Borbonio, & Aurelianenſi duci plurimum diſpliceret, non aduerſus eum ſolum, ſed Sabaudiæ quoque comitem Amadeum (qui Burgundi ducta ſorore, inſtructiſſimum ſemper, quo laboranti, ſi opus eſſet, poſſet ſuccurrere, habebat exercitum) inter ſe conſpirarant. Per illa quippe tempora, quicunque Gallicam rempublicam agitauere, honeſtis nominibus, alij quaſi iura populi defenderent, eorumque qui pacem concordiamque deferrent fidei diffiderent, pars quo regis authoritas maxima foret, bonum publicum ſimulantes, pro ſua quiſque potentia certabant; neque illis modeſtia, neque modus contentionis erat. Cæterum conſpirationis huius quam fuerit funeſtus calamitoſuſque exitus, ſi ſingillatim aut pro magnitudine parem diſſerere, tempus quam res maturius deſeret. quamobrem ad incœptum redeo. Sigiſmundo imperatori cum ſchiſmatis, quo grauiter tum eccleſia Chriſtiana (tribus vno ſimul tempore pontificatum Romanum inuadentibus) laborabat, tollendi cauſſa, in Galliam proficiſci conſtitutum eſſet (neque enim miſſis legationibus quicquam hactenus fuerat profectum) imperij proceribus, vt extra Romani imperij fines proficiſcentem Imperatorem, recepto antiquitus more, comitarentur, fuit imperatum. Accurrere præter principes Electores, duces imperij quatuor, totidem Lantgrauij, & par marchionum comitumque (inter quos ſecundus Sabaudus hic noſter) numerus, cum decenti omnes & ſuæ quiſque dignitati conueniente comitatu. Sed morbo Sabaudus in itinere (verone, an quod ob tacitas cum Aurelianenſi duce, qui Burgundi hoſtis erat capitalis,

ſimultates, eius fugeret conſortium, ſimulato, incer-
MCCCCXV. tum) correptus, domum ſæculi eius anno decimoquinto, imperatore permittente, redit. Ea tempeſtate cum Genuæ odiis diſſidiiſque atrociter reſpublica agitaretur, atque haud procul ſeditione res eſſet; mittit eo, domum reuerſus Amadeus, qui per alterius negotij ſimulationem, nonnullorum clam ciuium animos tentaret, videretque num eorum hominum opera imperatoris locum illum imperio poſſet adiicere. Quo mari Liguſtico (quod pleriſque Tuſciæ imperitat locis) potiunte imperatore, liber ad Italiam illi aditus, & minus ad coronam imperialem obtinendam eſſet obſtaculi. Sed cum ſecundo clam Genuam is qui a Sabaudo in eam rem miſſus fuerat, veniſſet, patefactis eius tandem conſiliis, ſuorumne indicio, an quod minus prudẽter circumſpecteque ſuſcepto incumberet operi; dubium prorſus, Barnabæ Guanonis (quem mediæ fortunæ, at haud malum alioqui hominem, ducem ſibi Genuenſes per diſcordias, Georgio Adurnio ſua ſponte boni publici cauſſa eum magiſtratum eiurante, fecerant) iuſſu comprehenditur, & capitis, cauſſa indicta, condemnatur. Sed factum hoc non diu impune Barnabas dux tulit; poſtquam anno vixdum vertente ducatu priuatus, Genua vniuerſa a Thoma Fregoſio pelleretur. Conatus hic quamquam minus feliciter tum ceſſit; confirmatus tamen in ea quam de Sabaudiæ principum perpetua conſtantique erga Romanos imperatores voluntate animo conceperat opinione Sigiſmundus imperator, Ama-
MCCCC- deum, ex Anglia ſæculi illius anno decimoſeptimo re-
XVII. uerſus, primũ in arce Montluctana non procul Lugdu-
no

no (alij paulo ante in concilio Conſtantienſi factum id affirmant) Sabaudiæ ex comite facit ducem; vt optime ſcilicet de ſe patreque ſuo & vniuerſo imperio meritam gentem illam grandiore aliquo beneficio ſibi faceret obſtrictiorem. Quin metuente Sabaudo, ne ciuitatum Vallenſium exemplo, cōfœderatis Heluetiis, ſocietate cum iis inita, Geneua Lauſannaque ſe iungerent, plenum illi merumque biennio poſt, in eas ciuitates, Marthino Pontifice eam donationem approbante, permiſit imperium. Cæterum piis præclariſque ſemper intentus operibus Amadeus, tollendoque quod inter Carolum eo nomine ſeptimum Galliarum regem & Philippum bonum Burgundiæ ducē (qui Ioanni duci patri, ab Aurelianenſis factionis hominibus cæſo, ſucceſſerat) infeſtiſſimis gerebatur odiis, bello, cum diligentem ſedulamque aliquamdiu operam nauaſſet, variis vltro citroque miſſis legationibus, vt Atrebati tandem inter eos pacificaretur effecit; pulſis Gallia omni qui cædem illam patrarant, eiuſve conſcij fuerant. Inter quos Tanneguyus Chaſtellius, Ioannes Louuetus Prouinciæ præſes, Ioannes Aurelianenſis nothus, Guilelmus Auangourius Clermonti præſul (cui in epiſcopatum ſuum ſe recipienti, ſoli manere permiſſum) Ioannes Cadorius medicus regius, Robertus Maconus ex equeſtri ordine, & Ioanna Bonnettéa Ioyeuſi dynaſtæ vxor. Bello inde per Philippum Mediolani ducem (qui quem aduerſus Florentinos Venetoſque conſcripſerat militem, cōtra Sabaudum, quod cum Venetis ille ſocietatem fecerat, vertit). Sabaudiæ illato finibus, Nouariaque & Vercellis occupatis, copias protinus Sabaudus, quantas

 poteſt

poteſt maximas conſcribit, Burgundiæque ducis implorato ſubſidio, in Lombardiam ducit: quam depopulatus, non exiguam agro Mediolanenſi, vicis villiſque paſſim incenſis, cladem infert. Atenim Sigiſmundo imperatore (qui Italiam, vt aurea ſupremaque illa corona inſigniretur, aditurus, in procinctu iam exiſtens, a Philippo duce vt per eius ſibi fines iter facere liceret, impetrauit, quique Amadeo optime cupiebat) authore, cum ab armis vtrimque eſſet diſceſſum, in gratiam tandem, Nouariam Vercellaſque reſtituente Mediolanenſi, Amadeique filiam Mariam vxorem ducente, reditum fuit. Interea dum cum Anglo rege Burgundoque acerbum Galliarum rex, quo, dum parum in amicis præſidij eſt, regni ſui potiorem amiſit partem, gerit bellum, conſiliaque erigendæ ex tam graui caſu reipublicæ ſecum agitat, capta ex diuturniore hac eius abſentia occaſione, Delphinatum Aurantiæ princeps inuadere cogitans, miſſa ad Sabaudum legatione, ſuppetias ea ab illo obtinet lege, vt Delphinatus eum tractum, in quo Gratianopolis ſita, Montes adhæc, & Viennam Sabaudo, ſi victoria potiretur, traderet. Sed alius longe quam ſperarat vterque, ſuſcepti illius belli fuit exitus. Delphinatum enim cum Varenbonio regulo (erat is qui Sabaudica adduxerat auxilia) vix ingreſſum Aurantium Gaucourtius (quem hominem nobilem & magnis opibus clarum loco illi Gallus rex præfecerat) apud Anthonum, commiſſo cum eo prælio, caſtris exuit, deletiſque eius copiis, deſtitutum omni ſpe fugam capeſſere, Anthonumque traiecto Rhodano celeriter repetere cogit. Captus eo fuit prælio Guilelmus Viennenſis fani Georgiani do-

Le Sr de Gaucourt.

ni dominus Burgundus, aliique magno numero nobiles viri, & cæſi ſupra trecentos. Graui hoc ipſo tempore, ſub annum ſcilicet ſæculi illius XXXI. inter Renatum Andium, & Antonium Lotharingum Vaudemontij comitem Ferrij filium, exorto diſſidio, quod Burgundi partes Vaudemontius, Galli e contra Andius ſequuti fuiſſent, quodque Eliſabetham Caroli Lotharingiæ ducis eius nominis ſecundi filiam hæredemque vnicam, Andij vxorem, a Lotharingiæ ſucceſſione arceri debere affirmante Vaudemontio, Baſilienſi tamen concilio pro Andio fuiſſet iudicatum, Antonio Burgundus Sabauduſque magna miſere auxilia: ſed maiora fuere quæ ab Amadeo miſſa. Equitum quippe optime armis inſtructorum ingens erat numerus, quibus Imbertus Sabaudiæ præfectus (Marſchallum appellant) & Saixij regulus, magni clarique ambo duces, & conſilio boni imperabant. Ceterum acri, vbi primum in conſpectum ventum eſt, ad Bubneuilleum in campis Villemanis commiſſo prælio, victor tãdem Vaudemontius diſceſſit; Renatuſque hoſtibus vndique cinctus, & a ſuis deſertus fortiter pugnans capitur, & ad Burgundum ducitur. Inter omnes Vaudemontianos ſocioſque præcipua laus eius belli vel ipſis non diffitentibus hoſtibus penes Sabaudicum equitem fuit. Capti vna cum Renato Andio, Metenſis præſul, Rodemarqueus regulus, & Arcyus vicecomes, multique alij primæ nobilitatis viri, Sabaudiæ Burgundiæque præfectis Antonio Tholongeono & Imberto antedicto traditi fuere, iiſque permiſſum, vt inter militem illos ſuum, pro cuiuſq. virtute meritoque diuiderent. Ætatis iam annum quinquageſimum & MCCCC. XXXI.

ſextum

ſextum Amadeus attigerat, deceſſeratque vxor eius Bona, plures apud eum enixa partus; cum expendentem apud animum ſuum, quot quantiſque caſibus atque periculis mortalium expoſita ſemper atque cincta vndique vita ſit, principum maxime etiam potentiſſimorum, ſimulque vitæ nobis hic (vbi firmum perpetuumque nihil, ſed vanitati omnia ſubiacent) breuem incertumque præſtitutum eſſe terminum; mortalum caducarumque harum rerum, & mundi quoque ipſius graue capere cæpit tædium, animumque eius vitæ commutandæ, & ſanctius puriuſque in poſterum inſtituendæ ſeria ſubiit cogitatio. Ceterum eam antequam rem aggrederetur, viros aliquot nobiles ex equeſtri ordine, quorum ſumma apud eum fuerat ſemper authoritas, quique in paucis illi chari erant, huius ſui conſilij participes facere voluit, vt in ſuam pertractis ſententiam idem vitæ perſuaderet genus; ſimulque vt quos in ſupremo potentiæ collocatus faſtigio, in gaudiorum omnium admiſerat communionem, eorum quoque ſuauiſſimo in ſolitudine conſortio frueretur. Duobus itaque ex his in ſecretiorem ad ſe vocatis locum (erant hi Claudius Saixeus, Sexteum appellant alij, & Henricus Columbierſius, viri tum genere inter ſuos, tum factis clari) hiſce ad eos verbis vſus ſcribitur.

„ Facit, viri mihi longe gratiſſimi, ſingularis meus in
„ vos amor, & veſtra longo mihi iam tempore ſpectata,
„ multiſque exemplis comprobata fides, certo mihi vt
„ perſuadeam, nihil mihi tam poſſe accidere acerbum, ni-
„ hil tam triſte, nullam dignitatis fortunæ mutationem,
„ quæ a meo vos conſortio aut poſſit aut debeat vllo tem-

pore

pore ſeparare. Cuius hercule mei in vos amoris tanta ›› vis eſt, adeo inter ſe noſtri iuncti colligatique inuicem ›› ſpiritus ſunt, vt quamuis præſentiam mihi veſtram ſub- ›› trahi contingere aliquando queat; nunquam tamen, ›› quamdiu hac me aura frui clemens ille patietur Deus, ›› veſtri animo meo memoria ſit exciſura. Peto itaque a ›› vobis, &, ſi veſtri id patiuntur mores, vos obſecro, vt, ›› quoniam olim rei agitatæ animo meo, nunc promen- ›› dæ tempus aduenit, quietumque & ſolitarium vitæ ge- ›› nus, procul ambitione ac foro, profiteri, in poſterum ›› mihi conſtitutum eſt, veſtram mihi ſocietatem ne dene- ›› getis. Quod ſi a vobis impetrare me permittitis, mihi ›› maximus laborum atque operum meorum erit fructus, ›› neque vos eius ſuſcepti conſilij vnquam pœnitebit. Eam ›› enim veſtri me curam habiturum ſemper promitto, vt ›› victus veſtituſque genere mihi exæquemini, poſterique ›› veſtri non ingrato vos principi obſequutos intelligant. ››

Admirati vehemẽter viri illi nobiles tam benigne fa- ‹‹ miliariterque ſe a ſuo principe compellari, & eos ſingu- ‹‹ laris in ſe affectus in viro tanto ſtimulos, multis illum rationibus ab ea ſententia deducere conari, oſtendere- que, imperium eius & late patere, & eſſe Dei beneficio ‹ nunc florentiſſimum armis viriſque, facta cum princi- pibus finitimis omnibus pace, imperatoris regumque ‹‹ Chriſtianorum omnium conciliata amicitia, nũc etiam titulo dominatus aucto. Subditorum ad hæc comme- morare erga eum amorem obſeruantiamque ſingula- rem: præclaram inſuper, cuius Deus eum parentem fe- ‹‹ ciſſet, ſubolem (adeo vt nihil illi ad ſummam felicita- tem deeſſe videretur) ob oculos ponere: obteſtarique ‹‹

Q eum

cum ne quietis ſolitudiniſque deſiderium pluris quam ſubditorum ſuorum ſalutem æſtimaret: regendo in longa pace concredito ſibi a Deo populo diligenter porro incumberet, eum in officio contineret, curaretque vt per homines honeſtiſſimos, viroſque fortiſſimos leges & iudicia adminiſtrarentur: veram hanc ad æternam comparandam ſalutem viam eſſe. Hæc pro ſua in eum obſeruantia haud occultaſſe. ceterum eius ſe conſiliis non
„ aduerſaturos. Quandoquidem (reſpondet ad ea dux)
„ felicitatem mihi vos quandam attribuere & fortunam
„ meam tantopere video prædicare, quid de ea quam re-
„ gibus principibuſque plerique hominum, qui rebus ca-
„ ducis & fluxis, quæ hic relinquendæ ſunt, hominis bo-
„ na metiri ſolent, aſſcribunt, ſentiendum iudicandum-
„ que ſit felicitate, prorſus vos ignorare intelligo. Aliter
„ enim longe, illius ſi felicitatis vel minimum feciſſetis pe-
„ riculum (mihi credite) ſentiretis. In ſola quippe vnaque
„ libertate, cum felicitatis huius quam vos tanti facere vi-
„ deo, ſumma ſita potiſſimum ſit, neceſſe eſt vt vel inuiti
„ mecum fateamini, qui procul ab omni hominum ſtre-
„ pitu priuatam agunt vitam, eorum longe optimam eſ-
„ ſe conditionem, libertatemque illis obtingere, quam in
„ principe viro etiam potentiſſimo temere requiras. Cæte-
„ ris quippe mortalibus in eo ſtare conſilia quid ſibi con-
„ ducere putant: principum virorum diuerſam eſſe ſor-
„ tem, quibus præcipua rerum ad famam dirigenda, vt
„ omittam, vix anno vertente tot voluptatis illecebras per-
„ cipere virum principem, quot vel vno interdum die ho-
„ minibus priuatis videmus obuenire, ſi verum ſit, potiſ-
„ ſimam voluptatis noſtræ partem ex ſenſibus ſuam tra-

here

here originem. A viſu (ſi lubet) ordiamur. Quis pri- ,,
uato cuique varias regiones, terras, vrbes, oppida pera- ,,
grare luſtrareque,& admiranda ac pulcherrima quæque ,,
iis in locis impune contemplari, longóque viſu lumi- ,,
na ſua ſatiare quandocunque lubeat, liberum eſſe ne- ,,
gauerit? At viro principi, multorum hominum odiis ,,
inuidiæque (quæ eminentis fortunæ comes aſſidua, al- ,,
tiſſimiſque adhæret) obnoxio ſemper, nemo eam im- ,,
pune aſſeruerit libertatem: cum metus eum ſemper ex- ,,
agitet, ne aut in decorum peccet, aut ea apud dignitate ,,
forte nòn inferiorem committat, quæ perſonam ſuam ,,
dedeceant, aut nomini ſuo apud rigidos illos mo- ,,
rum aulicorum cenſores maculam aliquam poſſint in- ,,
urere. Accedit huc quod (cum nemo celerius oppri- ,,
matur quam qui nihil timet) periculo ea haud careat res, ,,
cum fieri poſſit (quod regibus atque principibus viris ,,
pleriſque fines ſuos temere & ſine iuſto præſidio egreſ- ,,
ſis legimus contigiſſe) vt inſidiis excepti comprehenſi- ,,
que, etiam ab eo quem nunquam læſerint offenderin- ,,
ve, in tetrum aliquem coniiciantur carcerem, in quo ,,
quam diutiſſime aſſeruentur; necentur etiam per ſum- ,,
mam crudelitatem nonnũquam. Abſtineo dicere quod ,,
dum procul abeũt, vicinorum principũm iniuriis ditio- ,,
nes ſuas ſubiectumque ſibi exponant populum, & in ,,
prædam quaſi tradant. Eſto (ſubinferente Claudio
Saixeo) demus, princeps illuſtriſſime, hominum priua-
torum meliorem hac in parte eſſe conditionem: ſed hoc
nobis non negaueris, quæ auditu percipitur voluptas, ,,
eam vobis eſſe propriam; cum aures veſtras ea tantum ,,
circumſonent, quæ læta grataque, neque quenquam in

regum principumve aulis comitatuve reperire ſit, qui eorum actiones ſermoneſque omnes non prædicet, miriſque ſemper laudibus euehat: aliis enim vocibus eorum auribus obſtrepere offenſæ vetat metus.

„ Sed quam quæſo (reſpondet ad ea dux) ex falſis & „ non ſuis laudibus (ſolet quippe magnæ ſemper fortu- „ næ comes eſſe adulatio, peſſimum veri affectus vene- „ nũ) capere queat, quam tantopere vos admiramini prin- „ ceps hic voluptatem; cum eas ſibi a pleriſque (quibus „ omnia principum honeſta atque inhoneſta laudare „ mos eſt, quique principum potentiorumque beneuo- „ lentiam blanditiis aſſentationibuſque colligere ſoliti, ad „ voluntatem loquuntur, & auribus ſeruiunt) aſcribi vi- „ deat virtutes, quarum vix tenuem ſæpius in ſe vmbram „ inueniat. Veras demum eas mihi viſas ſemper laudes, „ quæ a libero & adulari neſcio profectæ ore, & vos te- „ ſtor, & meminiſſe poſteros volo. Nam tribuere homi- „ ni quod in eo non reperias, quid hoc quæſo aliud eſt „ quam ſumma eum afficere contumelia? Cæterum ad „ eam voluptatem quæ in guſtu conſiſtit quod attinet, „ non ignarus equidem ſum, ob ciborum viniquè omnis „ generis in ædibus noſtris redundantiam, varietatem, at- „ que ſuauitatem, beatos nos vulgus hominum prædica- „ re: verum eduliorum viniquè voluptatem ex guſtu, ſapo- „ re, appetentiaque qui metiuntur, næ aliter illos longe ſen- „ tire ego exiſtimauerim. Vt enim vera ſenſus huius vo- „ luptas in ciborum potuſque deſiderio atque delectu „ conſiſtit potiſſimum: ita crebra illa ferculorum varietas, „ intempeſtiuaque conuiuia, & perpotandi peruigilandi- „ que inſana dulcedo, ſui ſecum vt plurimum faſtidium

adducere, & omni hominem appetentię priuare ſolet. »
Enimuero optimum cibi condimentũ fames eſt: quam »
dum tempeſtiuioribus epulis eruditoque luxu plerique »
præuertunt principes, imo procul a ſe arcent, nunquam »
cum voluptate cibum capiunt. At populi longe melior »
conditio eſt. Illi enim (ſoliti alioqui parco & parabili »
victu ad implenda naturæ deſideria defungi) quia certi »
ſtatutiq. dies ſunt, quibus genio indulget, & grata ama- »
bilique viciſſitudine conuiuia celebrat, ſumma cum »
voluptate quibus non aſſueuit veſcitur cibis ; quorum »
nos ſatietas, viliſſima quæque edulia, & quæ vix attactu »
homo agreſtis dignetur, appetere cogit. Quemadmo- »
dum enim nimiæ opes magnæ iacturæ locum faciunt; »
ita nihil magis in ciborum nos adducit faſtidium, quam »
frequens ille rerum non neceſſariarum ſuperfluarum- »
que apparatus: & dum maiorem ſæpius incontinentiæ, »
quam ſanitatis & virium reficiendarum habemus ratio- »
nem, excogitata ab ingenioſis gulis irritando palato va- »
ria condimentorum genera. Quorum eo vſque nunc »
prouecta hominum ars eſt, vt etiam ſolſtitiali, & alieno »
prorſus tempore varia & multa venatio appareat, dum »
ſpeciem ferinæ carnis ex manſueto ſue condimentis fa- »
cere callent. Guloſius enim quo condiuntur cibi, luxu- »
rioſiuſque ſtruuntur fercula, eo citius eorum nos capit »
ſatias tædiumque. Cæterum ad actiones publicas, & »
reipublicæ adminiſtrationem quod attinet; res huma- »
næ ita ſe habent vt rerum præclare geſtarum gloriam »
non ipſi quidem principi, ſed aut fortunæ fatove, aut iis »
quorum princeps conſiliis vtitur, aſſcribi plerunque vi- »
deamus : ſed ſi detrimenti e contra quidpiam publice »

» accipi, vtpote prælium aliquod amitti, aut ciuitatem lo-
» cumve aliquem ab hoſte capi contingat, principis id
» culpa ſocordiaue factum, clamare omnes dico. Adeo vt
» quicquid reipublicæ accidat, ſiue proſperum id, ſiue ad-
» uorſum, rei male geſtæ culpa in principe, bene vero de-
» cus penes alium ſit: & cum recti factorum ſibi quiſque
» gratiam trahant (vel ignauis quippe in victoria gloriari
» licet) vnius inuidia ab omnibus impune peccatur. Omit-
» to dicere, ſuſpicionibus ſollicitum ſemper eſſe principis
» animum, dum belli tempore, ne ſuorum quiſpiam cum
» hoſte clam conſpiret, & conſilia illi ſua detegat; pacis
» autē, ne ex iis quos duriore habuerit imperio, exoriatur
» aliquis, qui aduorſum ſe inſurgat, metuit. Hanc curam
» ſuſtinet princeps, cuius cæteri mortalium expertes, quie-
» tam in ſumma animorum tranquillitate vitam, inter
» propinquos amicoſque ſuos ducunt. Quod princi-
» non ita facile factu eſt. Dominandi enim inſana effrena-
» que libido, propinquitatis conſanguinitatiſque iura
» omnia imperio poſt habet. Atqui erunt fortaſſis non-
» nulli, qui felicitatis ſummam in multarum rerum bo-
» norumque poſſeſſione conſiſtere, & vel eo ſolo nomine
» principes beatos exiſtiment, quod plurima poſſideant.
» Non vere hercule. Nihil enim viri principis, quam ho-
» minis cuiuſuis alterius, etiam infimi, melior hac in par-
» te conditio eſt. Plurima enim poſſideat licet, plura ta-
» men (vt animus humanus nunquam exſaturatur) ap-
» petit ſemper, & præſenti nunquam contentus fortuna,
» vt effuſe affluant opes, meliorem ſibi dari optat. Imo
» dum ambitioni modum ſtatuere potis haud eſt, & ni-
» hil penſi neque ſancti habet, cæteris mortalibus longe
eſt

eſt infelicior: agrum enim aliquem hærediumve hi; at »
regna principatuſque integros ille inſatiabili, & quæ »
neque copia neque inopia minuitur cupiditate concu- »
piſcit ſemper, & ſpe animoque deuorat. Non negaue- »
rim equidem, plurimum viro principi ad tranquillita- »
tem comparandam conferre, ſi leni moderatoque im- »
perio (nam hoc quoque laudi nobis honorique verti »
video) ſubditorum ſuorum ſibi ſtudia animoſque con- »
ciliare omni ſtudio conetur, neque potentia ſua ad im- »
potentiam vtatur: ſed vt in perpetuo propterea metu »
verſari, ſuſpicionibuſve deſinat indulgere, id equidem; »
(quæ humanæ conditionis miſeria eſt) haud libenter »
conceſſerim. ſiue enim ingentem hominum circum ſe »
multitudinem, ſiue magnam videat ſolitudinem, æque »
ſemper in metu eſt, dum ne quid aut noui inſolita tur- »
ba moliatur, aut parandis ſtruendiſque ſibi inſidiis ſoli- »
tudinem illam occaſionem præbere poſſe ſuſpicatur. »
Cæterum quod plerique hominum vel eo ſaltem no- »
mine beatos nos exiſtimant, quod de ſubditis noſtris »
domeſticiſque bene merendi facultates abunde nobis »
ſuppetant, falluntur hercule plurimum, & quidem vel »
ipſis vobis, verum dicere ſi velitis, non diffitentibus. »
Quotus enim quiſque meorũ quæſo eſt, qui non ſtatim »
vt inſigne aliquod meum ſenſit beneficium, diſceden- »
di à me quærat occaſionem, ſeceſſumque ſimul, in quo »
accepti illius beneficij fructus percipere poſſit? Cuius »
ipſius deſiderij eo maiores in eius animo generantur ſti- »
muli, quo quod accepit maius præclariuſq. donum eſt. »
Porro finem vt faciam, & in pauca rem contraham, plu- »
rima ſubinde vel inuiti principes facere coguntur, qui- »

bus

„ bus ſubditorum ſuorum a ſe alienant animos, metumque illis (qui amoris rarus comes) incutiunt: veluti cum de ſontibus ſupplicium ſumunt, vel ſubdito ſibi populo pecunias, neceſſitate coacti, imperant, aut in eorum capita tributum, in bona merceſque vectigal aliquod, vnde pecuniam cogant, imponunt. Omnia hæc propius conſideranti mihi nemo, viri amici, perſuaſerit vnquam, priuatorum hominum vitam noſtra meliorem eſſe vt negem. Quin veriſſime ille mihi dicere viſus eſt, qui (quanto maius eſt regnum faſtidire, quam accipere intelligens) eam dignitatis regiæ vilitatem eſſe aſſeruit, vt mortalium nemo ſit, qui, ſi quot quantiſque calamitatibus miſeriiſque regum vndique obnoxia atque expoſita vita ſit perſpectum haberet, inuentum ante pedes diadema regium tollere a terra dignaretur. Hæ ſunt, viri amici, rationes quæ me impulere cur maximis turbulentiſſimiſque quibus mundus hic agitatur tempeſtatibus, ſubducere me & in Ripallicum ſeceſſum (monaſticum ibi vitæ genus profeſſurus) abire conſtituerim. Vos veſtra me ſocietate (quod vehementer vos obteſtor) fruſtrari haud patiamini. Ad principatus mei adminiſtrationem quod attinet, Ludouico filio ea a me prouincia demãdabitur. Is meo parentium imperio locorum omnium curam geret; ſupremo nihilominus penes me manente dominatu, & rerum ſumma. Reſpondere ad ea vterque (magis eius voluntati ne refragari velle viderentur, quam quod ea ipſorum eſſet mens; ſperabant enim haud diu admodum, vt principum ſubita plerunque conſilia ſunt, in ea cogitatione perſeueraturum Amadeum) in eius ſe futuros poteſtate, & quamcun-

quę iuberet ſubituros fortunam, facturoſque quod imperaret: imo glorioſum admodum ducere, ſibi quod vnos ſe vitæ illius ſocios deligere, & conſiliorum ſuorum participes facere non fuiſſet dedignatus. Eo capto conſilio, nocte quadam, conſciis ſolummodo duobus hiſce, Thonone (quæ ad lacum Lauſanenſem ſita vrbs) cum perexiguo domeſticorum ſuorum comitatu Amadeus diſcedit, Ripalliumq; migrat. Ædes ſunt ampliſſimæ ſumptuoſiſſimæque, quas ipſemet Amadeus, adoleſcens adhuc, ad eundem lacum, primo ab oppido illo lapide, loco longe amæniſſimo, ingentibus impenſis conſtruxerat. Erat eodem in loco monaſterium diuo Mauricio iam olim ab Amadei maioribus (quorum ſingularis erga diuum illũ tutelarem extitit ſemper pietas obſeruantiaque) dedicatum. Hoc ingreſſus monaſterium, monaſtico ſumpto protinus habitu, idem quod monachi illi vitæ genus profiteri cœpit. Cinerea & oblonga quam induit, fuit veſtis, quam ingentis pretij inaurata cinxerat zona, ſuper hanc eiuſdem coloris chlamys, aurea (illi quam Romani geſtare ſolent imperatores, haud abſimili) inſuta cruce grauis. Caput ex eodem colore velabat capitium ex quo cucullus dependebat oblongior, quo in humeros reiecto, galero purpureo, cardinales imitati, monachi illi vtebantur, bacillumque nodoſum inflexumque altera tenebant manu. Ioannes Marius de hoc vitæ Amadei inſtituto paulo aliter in hæc ſcribit verba.

» Amatus cum vxorem Margaritam Philippi audacis Burgundiæ ducis filiam amiſiſſet, mundo & ſtatu ducali relicto, cõſtituit vitam eremiticam amplecti, locum

 ad eam

,, ad eam rem peramœnum prope lacum Lemanum deli-
,, gens; quem magnis ædificari curarat impenſis, guberna-
,, culis ducatus Ludouico filio maiori traditis, patri Phi-
,, lippi ducis Sabaudiæ, qui Philibertum genuit, mari-
,, tum Margaritæ Auſtriacæ; qui ſine hæredibus maſculis
,, obiit anno Domini M. D. IIII. Amatus vero in eremo
,, degens per aliquot tempus vna cum decem nobilibus
,, ætate prouectis, vitam ſolitariam vixit, prominentem
,, barbam alens, veſtimentum vile indutus, ac clauam no-
,, doſam in manu gerens. Quæ res licet noui exempli eſſe
,, videretur; tamen ipſe non primus virorum principum
,, fuit, qui reipublicæ gubernaculis relictis, quieti ſe dedi-
,, derunt. Hactenus Marius. A quo non prorſus diſſentit
Æneas Syluius (qui ſub Pij ſecundi nomine Pontifica-
tui deinde præfuit) cuius in quadam ad Petrum Noxe-
» tanum epiſtola, verba ſunt hæc. A Florentia Mediola-
» num petiuimus, & ſuperato Iouis monte per lacum Le-
» manum Tononum venimus, memorandam Ripallio-
» rum eremum introiuimus, in qua dux Sabaudiæ Ama-
» deus detulit habitum cultumque, ſancto cuipiam Ere-
» mitæ ſimilem, quem viri decem ex equeſtri ordine ſe-
» quebantur; qui ſæculo renuntians, promiſſam barbam,
» & hiſpidum pallium, & retortum baculum mundanis
» rebus prætulerat. Abit longius ab vtroq. Enguerran-
dus, qui Amadeum ducem, eiuſque in eremo illa ſo-
cios, racemorum liquore loco optimis quibuſque
cibis & vino præſtantiſſimo vſos ſcribit. Sed ego Syluio
« teſti oculato potius aſſentior. Cæterum ſubitus hic in-
« opinatuſque Amadei ducis diſceſſus (inde enim deuene-
« rit oratio) regulos nobilitatemque reliquam omnem;

quos

quos conſiliorum ſuorum ignaros eſſe voluit, vehe-
menter perculit. Neque ſubditorum eius quiſquam
fuit, quem nõ commoueret illa facies; Sabaudum prin-
cipem, & tot prouinciarum dominum, paulo ante
dominium relicta fortunæ ſuæ ſede, ſponte ſua exire
de imperio. Nihil tale viderant, nihil audierant. Miſſis
itaque protinus ad eum illis ipſis, quibus animi ſui ſen-
ſum aperuerat, Saxio & Columbierſio, regulisque pluri-
mis illi rationibus, ſubitum illum inopinatumque &
alieno prorſus tempore diſceſſum eius perſonæ dignita-
tique haud conuenire, ditionumque quibus imperarat,
ordini eccleſiaſtico, nobilitati atque populo reliquo ve-
hementer diſplicere, demonſtrare conabantur. Reſpondi-
re paucis ad ea Amadeus, neque mentem ſibi [illegible]
ſe, neque vires potentiamque imminutas eſſe. Curam
rerum itaque ſeſe, ne damnum vllum reſpublica Sabaudi-
ca ex hoc ſuo diſceſſu caperet. Conuerſo inde ad eos ſer-
mone, ambages mitterent, inquiebat, viderentque ne
ſtatam ſibi paulo ante fidem fallerent, ſpem vel ſtatum de-
ſtituerent. Illi quoniam quo ſe modo promiſſo illo ex-
pedirent, non videbant; enim neque idem viuere ingredi
iter, idem ſibi veſtis genus (iam enim Amadeus voluerat)
ſumere. Prouinciarum deinde ſuo probantibus imperio
ordinibus, vna cum vtroque filio ad ſe venire iuſſis, Lu-
douicum natu maiorem, in ſpem imperij genitum, Pe-
demontanum renunciat principem, minorem Gebe-
nenſi ditione donat. Reliquarum autem ſuarum pro-
uinciarum dominium, tam earum quæ trans, quam quæ
cis Alpes ſitæ, curam adminiſtrationemque eidem Lu-
douico tradit filio, at ea lege, vt penes ſe rerum nihilo-

minus manente ſumma, in ſua ſit poteſtate ea illum procuratione, quotieſcunque lubeat, aut ille mereatur, priuare. Ducis quoque retento titulo, de rebus maxime arduis, & reipublicæ Sabaudicæ ſtatum ſalutemque concernentibus, nihil inconſulto ſe ſtatui voluit. Rebus hunc in modum conſtitutis, cum ex domeſticis ſuis miniſtris viginti tantum apud ſe manere iuſſiſſet (idem & a Saixio Columbierſioque eandem eremum ingreſſis factum) reliquos domum redire, filiiſque ſuis parere in poſterum voluit. Quis fuerit tum Sabaudiæ habitus, qui ſingulorum animi, quæ digredientium a tanto principe lachrimæ, nemo facile dixerit. Cæterum in Ripalliis exiſtenti Amadeo varij cum monaſterij illius præfecto (Priorem appellant) viro ſanctitatis admirandæ, fuere congreſſus, varij ſubinde ſermones, plurimumque hominis optimi conſuetudine delectabatur. Cæterum eundem repetenti ſæpius ſermonem dicentique Amadeo, hominem qui mundi huius curis moleſtiiſque renunciaſſet, ſibi non videri abſimilem nautæ qui poſt grauiſſimos exantlatos in æquore labores, tranquillum tandem tutumque inuectus portum, aliorum eum pelagi tempeſtatibus aduerſiſque fluctibus non ſine naufragij periculo luctantium, ex loco tuto, ſui iam ſecurus, certamina lætus videt. Non quia (vt quidam inquit) vexari quenquam eſt iucunda voluptas, Sed quibus ipſe malis careas quia cernere ſuaue eſt.

„ Nunquam, princeps ſereniſſime (ſubinfert ille) infe-
„ licis mundi huius decurſum verius meliuſque, quam
„ maritimæ contuleris nauigationi. Quemadmodum
„ enim videmus, eos qui nauigandi mariſque ſunt inſueti,

ſalo nauſeaque confectos, grauem illum tetrumque »
ſentinæ odorem, & moleſtam nauis qua vehuntur haud »
ferre agitationẽ, mirabilemque plerunque intra ſe, ſub- »
uerſo ex frequenti illo inordinatoque pelagi motu ſto- »
macho, ſentire commotionem, cui dum mederi volunt »
malo, in phaſelum celocemve aliquam ex oneraria de- »
ſiliunt, quaſi tempeſtatis ſentinæque vitiis quod confli- »
ctentur, nauis magnitudo, non perpetua illa fluctuum »
maritimorum faciat agitatio. Eodem quoque modo »
nos, quibus mundi huius perpetui quaſi fluctus mole- »
ſtiæque mentem vehementer turbant, animumque ſem- »
per faciunt inquietum, malo illo leuari nos poſſe certo »
arbitramur, ſi principatibus, dignitatibus, honoribus & »
functionibus denique publicis omnibus valere iuſſis, in »
ſolitudinem nos eremum ve aliquam abdamus. Sed de- »
cipimur (mihi credite) veri ſubinde ſpecie, dum non »
minus in anguſto abiectove aliquo tugurio, quam in »
principatu ſublimioreve dignitate aliqua conſtitutos, »
mundi nos vndique huius circumſtant exagitantque »
tempeſtates. Veniam mihi dabis (princeps illuſtriſſime) »
ſi liberius te quam meæ conueniat fortunæ, compellem. »
Fidem enim meam quoniam tibi habes obſtrictam, co- »
git muneris mei ratio, vt, procul ab omni adulatione »
(quod perpetuum malum regum principumque, quo- »
rum opes ſæpius aſſentatio, quam hoſtis euertit) vera te- »
cum loquar. Hæc verborum itaque meorum ſumma »
eſt: Exiguum admodum eſſe, principum aulas, magna »
illa palatia, & frequentes hominum fugere cœtus, ſi »
ipſum te non fugias, diſertis id ipſum Seruatore noſtro »
conſignante verbis, cum inquit, QVI VVLT VENIRE »

» POST ME, ABNEGET SEMETIPSVM. Quaſi dicat,
» ſeipſum deſerat, & totum ſe mihi tradat. In eremum
» enim ſolitudinemve aliquam qui ſecedūt, ſi mundum,
» hoc eſt, humanos illos affectus, animorumque vagos
» motus eodem ſecum conferunt, quid admodū quæ-
» ſo illi, quam quod aërem locumve mutant proficiunt?
» Neceſſe ante omnia, princeps ſereniſſime, eſt, vt ani-
» mum mentemque, ab huiuſmodi, quas mundus ſecum
» circumfert vanis curis cogitationibuſque vacuam pur-
» gatamque proſſus habeamus. Militum quippe Chri-
» ſti (inquit D. Hieronymus) perfectio eſt exutam men-
» tem habere a cunctis terrenis negotiis & tumultu ſæ-
2. Tim. 2. » culi, iuxta illud Apoſtoli: Nemo militans Deo, impli-
» cat ſe negotiis ſecularibus, vt ei placeat, cui ſe probauit.
» Quemadmodum enim fieri haud poteſt, vt qui ſupernis
» interniſque, & quæ ad latus ſunt, vno ſimul tempore
» contemplandis rebus intentus eſt oculus, in propoſitum
» ſibi ſcopum recta feratur: ita quoque ſalutis ſibi pro-
» poſitum ſcopum (qui in ſui odio, & propriæ voluntatis
» abdicatione conſiſtit potiſſimum) haud facile attigerit
» animus, qui humi defixus ſemper, curarumq. perpetuo
» quaſi æſtu quodam fluctuans tranquillitatem om-
» nem auerſatur, neque in altum attollere ſe potis eſt. Cui
» malo obnoxij plerique mortales ſunt, qui aut ipſi volu-
» ptates immerſi, aut auidi honoris, potentiæ, diuitiarum,
» variis inutilibuſque, quas mundus hic dagnatque habet,
» cogitationibus, extricare ſe nunquam poſſunt, quicquid in
» mundo ipſo, ter miſeri infeliceſque deſeruntur, ipſum
» antequam deſerant. Quibus enim vxores nō ſunt, cum
» fœdo plerunque impotentique conflictantur amore,
indomi-

indomitaque, & effrenata ardent ſemper libidine. Ma- »
trimonio iunctos perpetui comitantur angores ſollicitu- »
dineſque, diurni & nocturni circumſtant metus, dum ſi- »
bi cõiugi liberiſque ſuis ſemper aliquid defuturum me- »
tuunt. Qui cælibem ducunt vitam, illos amiſſæ caræ »
coniugis cruciat deſideriũ, & liberos ſibi ex ea natos ve- »
lint. Alios opum diuitiarumque per fas nefaſque conge- »
rendarum tranſuerſos abripit inſatiabilis & ſine modo »
cupido, illique vni ſtudio cætera poſt habent. Sunt »
quos cupidos querelarum, iniqua vicinorum aliquem li- »
te demorari, probriſque & maledictis impetere perpe- »
tuo iuuat. Non deſunt quoque qui ob viliſſimi lucelli »
ſpem, importandis exportandiſque mercibus, maximis »
ſubinde periculis vitam exponere non vereantur. Agri- »
culturæ ſtudium (quo libero moderatoque homine ni- »
hil dignius) alios detinet, ſed ita vt toti in eo occupen- »
tur, neque laboris vllum nocte dieque faciant modum. »
Alium alius quæſtui faciendo propoſitum habet ſco- »
pum: neque dies vlla eſt, quæ non aliquas ſemper ani- »
morum ſerenitati obducat tenebras, & caligine quaſi »
quadam homines illos inuoluat, vſque adeo vt & no- »
ctes etiam totas, quieti alioqui a natura deſtinatas, in- »
ſomnes plerique mortalium, recurrentibus animoque »
ſemper obuerſantibus iiſdem illis diurnis actionibus co- »
gitationibuſque tranſducant. Verum enim vero finem »
vti faciam, nullum aduerſus omnia hæc animum hu- »
manum varie inquietantia diſtrahentiaque ſemper ma- »
la, præclarius præſentiuſque reperire remedium eſt, »
quam vt blandientem plerumque illecebris ac incita- »
mentis peccandi mundum hunc valere ſerio iubea- »

mus,

„ mus: hoc eſt, vt facto inter corpus animumque diuor-
„ tio, repudij animus corpori libellum mittat, vtque ſua
„ ſibi habere corpus iubeat, nihil ſibi commune cum illo
„ retinens. Incidentes verò calamitates, quas effugere mor-
„ talium nemo poteſt, velut aſperos eſſe ventos, quibus
„ noſtra in hoc procelloſo mari nauigatio, dum ad æter-
„ næ ſalutis tendimus portum, nunquam non ſit expoſi-
„ ta, impauidus cogitet. Inſuper vt non ita penitus in ali-
„ cuius nos tradamus amicitiam, ab eo vt ſeparari diuelli-
„ que graue nobis deinde moleſtumque ſit, vt locus nul-
„ lus, nulla ita nos teneat afficiatque vrbs, eam reliquis
„ domiciliis vt præferamus, inuitique inde, alio migra-
„ turi, aliaſque petituri ſedes, auellamur. Plurimum quo-
„ que eodem contulerit, nihil ſi priuatim, nullos agros,
„ ædes nullas, pecora nulla, nullas denique poſſideamus
„ opes, veriſſima malorum omnium irritamenta, & quæ
„ poſſeſſæ mille nobis ſupremi in nos Numinis iram con-
„ citandi præbent occaſiones, amiſſæ animum varie ex-
„ cruciant. Hac ſerenitatis præclara face animis noſtris
„ prælucente, hac mentium parta tranquillitate, dictu mi-
„ rabile, quãta protinus in nobis animorum fiat commu-
„ tatio, adeo vt veteris illius naturæ poſitis exuuiis, in no-
„ uum prorſus aliumque transformemur hominem, red-
„ damurque perquam idonei recipiendis, quæcunque di-
„ uino illi ſpiritui mentibus noſtris infundere viſum fuerit
„ donis. Quemadmodum enim, cera niſi prioris figuræ
„ deletis veſtigiis, formam aliam nullam admittit: ita ani-
„ mus nullam veræ virtutis, niſi quod partim infudit na-
„ tura, partim praui paulatim affixere mores, ſublatum
„ penitus vitium ſit. Quæ res vno vitæ ſolitariæ beneficio
comparari

comparari commodiſſime poteſt, quippe cui longo »
vſu, diuturnoque exercitio efferueſcentes animi motus »
illos comprimere, & in rationis adigere obſequium, fa- »
cile ſit. Quo enim modo feras immaneſque beſtias ci- »
curari paulatim, tractabileſque & diſciplinæ cum tem- »
pore capaces magiſtrorum diligenti cura fieri videmus, »
eodem quoque quæ animos noſtros efferare, peſtifero- »
que ſuo veneno inficere ſolent, faſtus, venus, odium, »
auaritia, & id genus vitiorum portenta, ſuccidi eradica- »
rique paulatim, & rationi locum tali ſeceſſu facere in »
confeſſo eſt. Quippe pietatis vis eſt, vt, cum abiectis »
longe infra ſe terrenis rebus omnibus, cæleſtes ſolum- »
modo meditetur quæratque, cogitationes quoque »
actioneſque omnes ſibi conformet. Profecto cui eum »
felicitatis portum attingere Dei beneficio datum eſt, næ »
ſolida is terfælix, meo iudicio, ad veram virtutem fun- »
damenta iecisse conuincitur. Neque vt aliter accidat fieri »
poteſt, cum diuinis decantandis laudibus intenta ſem- »
per lingua humanum loquitur nihil, auerſique ab omni »
caducarum mortaliumque rerum & quicquid ſui pul- »
chritudine mentem noſtram diſtrahere, & in ſui nos »
amorem attrahere queat, obtutu oculi, vniuerſitatis hu- »
ius contemplandæ fabricæ toti ſunt intenti, admirantur- »
que & adorant tot præclarorum admirabiliumque ope- »
rum architectum atque opificem. Cum procul quoque »
ab omni turpium fabellarum obſcænarumque cantile- »
narum (quæ animis bene conſtitutis expugnandis ve- »
ra certaque inſtrumenta, & validæ quaſi machinæ quæ- »
dam ſunt) auditione aures. Ceſſantibus quippe volu- »
ptatum illecebris illis omnibus, quibus mens humana »

„ occupata delinitaque, varie diſtrahi & in auia abripi vt
„ plurimum ſolet, fieri non poteſt, quin in ſe paulatim
„ illa reuerſa, ſuiſmet adminiculis, alienæ, præterquam di-
„ uinæ opis, haut indiga, ad veræ virtutis decus citato pro-
„ peret gradu, plenamque atque perfectam tandem æter-
„ næ illius eſſentiæ cognitionem percipiat: cuius ſemel in-
„ flammata accenſaque deſiderio, terrenarum protinus
„ rerum omnium obliuiſcitur, diuiniſque contemplandis
„ rebus adeo immoratur intentaque eſt, vt vix cibi potuſ-
„ que capiendi libidine vlla tangatur, æternæ illius fælici-
„ tatis dulcedine, & ſuauitate admirabili ob oculos ſem-
„ per obuerſante & humana illa omnia demorante. Ad
„ quam rem conſequendam profuerit plurimum, homi-
„ num diuino cælitus afflatorum Numine, lectitaſſe ſcri-
„ pta, eorumque, quos vitæ puritas innocentiaque cæle-
„ ſtibus illis ſpiritibus aggregauit (quos nobis tanquam
„ præſentia viuaque ad virtutem exempla imitandos pro-
„ ponere debemus) vitas & res geſtas intueri ſemper, vt ad
„ earum normam vitam noſtram exigamus compona-
„ muſque, & quemadmodum pictores, vt oppoſitam ſibi
„ a magno aliquo artifice depictam tabulam, quam pro-
„ xime exprimant, diligenter ad omnia, etiam minima
„ quæque, vt ductus lineamentaque omnia aſſequi poſ-
„ ſint, attendere videmus: ita quoque & nos ad ea quæ a
„ purioribus illis animabus imitanda nobis relicta ſunt,
„ quam proxime (præclaro ad poſteritatem exemplo)
„ mores noſtros conformare, eorumque haud iniucunda
„ recordatione perfrui cõuenit, ſupremi ad hoc Numinis
„ feruentiſſimis aſſiduiſque precibus inuocato auxilio.
„ quo ſi confirmemur, fauſtum, ſi (quod abſit) deſtitua-
mur,

mur, infauſtum prorſus quicquid conabimur ſortietur »
exitum, & vanus omnis noſter erit labor. »

Hæc fere fuere quæ de mundo rebuſque ad mundum pertinentibus deſerendis, præclara, neque ducis auribus ingrata, complexus oratione vir ille ſanctus Amadeo ob oculos ponenda putauit: quod cum ſeceſſum vitamque ſolitariam, & ab aulæ diſiunctam ſtrepitu delegiſſet, res tamen maximi momenti, ad ditionum ſuarum ſpectantes ſtatum, ſuo nihilominus arbitrio reſeruaſſet. Ingens hoc ipſo anno qui a nato Domino fuit MCCCCXXXIX. procerum eccleſiaſticorum Baſileæ MCCCCXXXIX. (in Heluetiis ad Rhenum ea ſita ciuitas) conuenit numerus. Quod eo loci Huſſitanæ Bohemorumque doctrinæ exſtirpandæ, eccleſiæ totius Chriſtianæ concilium, conuentumque Marthinus eo nomine quintus, & poſt eum Eugenius quartus pontifices indixerant; Iulianuſque cardinalis Cæſarinus ab ipſomet Eugenio pontifice, vt concilio illi cum legati apoſtolici titulo præſideret, Baſilæam ab anno inde ſæculi eius XXXI. (quo ipſo indictio ea facta) miſſus fuerat. Cæterum poſt crebras frequenteſque cum eo hominum genere inſtitutas habitaſque diſputationes, cum ad procerum eccleſiaſticorum vitam moreſque reformandos deuentum tandem eſſet, Philippus Mediolani dux (qui capitali in Eugenium flagrans odio, nullum non hactenus mouerat lapidem vt orbis totius Chriſtiani vtriuſque ordinis proceres principeſque, miſſis etiam in eam rem legationibus aduerſus eum, variis illi grauibuſque obiectis criminibus, concitaret) ea arrepta occaſione, Eugenium grauiter in pleno patrum conſeſſu accuſat, efficitque tan-

dem vt pleriſque etiam cardinalium (qui ſuo priuatim nomine Pontifici erãt inſenſiſſimi, reliquos enim factio Arragonica ob Neapolitanum ſuſcepta regnum hoſtes illi fecerat) in ſuam opinionem pertractis, communi omnium calculo (proceribus etiam ſæcularibus pleriſque in eam ſententiam euntibus)Eugenium pontificatu priuandum,aliumque illi ſubſtituẽdum eſſe, cenſeretur. Dicitur, ea re cõſtituta, Eugenio Pontifici dies,vt de iis quorum accuſabatur, in pleno ſe concilij illius conſeſſu coram purgaret. Vocatus ſæpius cum non compareret, ſed legatos tantum quoſdam mitteret (qui ipſi ſtatim vt Baſileam venere aduerſariis eius ſe iunxere) Concilij proceres, Plaiſanceus, Bononienſis, Venetus. Arleſius, Arragonius & Cyprius cardinales Eugenio contumaciæ condemnato,pontificatuque, concilij generalis obtenta authoritate,priuato (Sigiſmundus quippe imperator,*qui* vitandi ſchiſmatis cauſſa, Eugenio prudenter hactenus fuerat patrocinatus, paulo ante mortem obierat) Amadeum hunc noſtrum,ſanctitatis pietatiſque apud omnis ordinis & homines opinione clarum, in eius locum (vehementer eam vrgentibus rem, Philippo Mediolani duce, qui Amadei filiã vxorem duxerat, & Cardinali Cyprio,cui cum Sabaudica familia vetus intercedebat affinitas)Felicis ei quinti nomine indito, ſubſtitunt, Eugenio nequicquam publico conſeſſu concilio illi authoritatem abrogante, & aliud in eius locum in Ferrarienſi vrbe (quod Florentiam deinde,peſte eo in loco graſſari incipiente, fuit tranſlatum) indicente. Amadeo in hunc modum pontifice electo, mittuntur protinus qui electionis illius apud Ripallios exiſtentem certiores faciant.

ciant. Excuſare primo omnibus ſe modis Amadeus, & tanto ſe faſtigio ſplendorique ſuſtinendo imparem prorſus dicere, cum quod rebus terrenis (ad quas redire animus haud eſſet) iamdudum renunciaſſet, tum quod militiæ aſſuetus hactenus, eccleſiaſticarum rerum nullis imbutus eſſet rudimentis. Supremum illum magiſtratum alij nulli deferri verius eſſe, quam qui ætatem omnem in eo vitæ genere conſumpſiſſet. Peſſime rebus ſuis conſulere & ingens in ſuum caput accerſere periculum, quicunque eccleſiaſticarum rudis rerum, ad eam dignitatem adſpiraret. Varia eius rei exſtare exempla, & viſum id ſalutis anno MCCXCIIII. cum Petrus Moroneus anachoreta profeſſione, Celeſtini aſſumpto nomine, eremiticam vitam cum pontificia commutaſſet. Ille enim quod eius in ſe rei, cuius rudis ignaruſque eſſet, ſuſcepiſſet adminiſtrationem, Pontificatu menſe eius ſexto abdicato, in carcere vitam tandem, animi mœrore confectus, finiit. Secundæ enim res (vt quidam ait) acrioribus ſtimulis animum explorant, quia miſeriæ tolerantur, fælicitate corrumpimur. Quid ſi idem & mihi, idem qui profiteor vitæ genus, contingat? Hæc quidem in pontificatus deprecationem multis verbis allegabat Amadeus. Sed Bolonierij, qui Cancellarij apud eum fungebatur munere, & legatorum, quos Mediolani dux Philippus miſerat, cedens tandem rationibus, liberorumque ſuorum (qui in magna felicitatis ſuæ ponebant parte, quod patrem ſuum, ſingulari ſuo merito ad id faſtigij perueniſſe gloriari poſſent) victus precibus, mutato conſilio, in patrum concilij poteſtate futurum ſe dixit. Quibus verbis electione comprobata, pontifi-

cij protinus ei pontificiam induto veſtem a legatis (ita enim facere iuſſi erant) delati exhibitique ſunt honores. Ipſe paulo poſt ditionum ſuarum nobilitate vniuerſa comitante, Baſileam proficiſcitur. In quam vrbem, deducentibus cardinalibus, archiepiſcopis, epiſcopis, abbatibus, præſulibuſque reliquis, & qui cōcilij illius cauſſa eo venerant, theologis, iuriſconſultiſque omnibus, vt venit (& quidem in tanta vtriuſque ſexus omnis dignitatis & omnis ætatis hominum, qui ex omnibus Chriſtiani orbis partibus ad rei nouitatem accurrerant, frequentia, vt plurimi conferta multitudine oppreſſi interirent) ſacris per dierum aliquot, iuxta receptum in eccleſia morem, interualla, gradatim initiatur, epiſcopali inde (ceremoniis ſolennitatibuſque quibus ad eam rem vti conſuetum eſt, interuenientibus omnibus) inſignitus dignitate, ad exſtructum ex aduerſo ædis eius vrbis primariæ theatrum, latus vtrunque cardinalibus diaconis duobus claudentibus, deducitur. Ibi poſtquam aſſediſſet, qui ad dextram erat cardinalis pontificium ſacrato vertici galerum, epiſcopali prius per eum qui læuam cinxerat, ſublato, imponit: purpuratis reliquis cæteroque clero cum miniſterio aulico omni in eccleſiaſtico decentique habitu atque cultu vtrimque circumſtantibus, incondita hominum reliqua multitudine feſtis vocibus acclamante, & fauſta lætaque omnia nouo pontifici imprecante. Inde eodem illo cardinali, qui ſacra tiara caput Amadeo cinxerat, alteroque pontificias de more pro ſuggeſtu venias, illo Latinis, vernaculis verbis hoc, publicantibus, ad Dominicanorum ſodalium ædem ſolemni pontificaliq. pompa Pontifex nouus deducitur,

ducitur, comitantibus quotquot concilio intererant proceribus, qui equites omnes iter hoc peregere. Ordo autem comitatus erat talis: Primi equitabant qui cardinalibus præferri ſolitas gerebant peras, domeſticique eorum cæteri: hos pontificij ſequebantur miniſtri (inter quos qui a cubiculis Pontifici erant, peras geſtabant rubras) & hos cardinalium propinqui affineſque. Horum proximepremere veſtigia duodecim ex eorum numero, quibus equorum commiſſa cura (Angarios vulgo vocant) rubro ſinguli vexillulo, in quo pontificia videre erat inſignia conſpicui. Pone hos Baſilienſis vrbis magiſtratus, ſigniferque ibant: quē ex ſodalitio Teutonicorum equitum quidam, ſodalitij ipſius geſtans inſignia, crucem nimirum nigram in argenteo ſcuto, ſequebatur: & hunc Sabaudicæ nobilitatis non poſtremus, vexillum pontificium Sabaudicis permixtum inſignibus, præferens: infra hunc adequitare is cui ſodalitij equitum Hieroſolymitanorum vexillum geſtandi demandata erat prouincia. Horum ſigniferorum, quibus vehebantur equi phalerati erant, ipſi autem, galea dempta, cataphracti omnes, & paludamento ſerico, in quo ſua cuiuſque videre erat inſignia, conſpicui. Poſt ſigniferos duodecim generoſiſſimi albentes phaleriſque inſignes & regio inſtrati ornatu ibant equi, quibus ex coccineo ſerico frontalia fimbriis auro intextis purpuraque diſtinctis erant: quatuor inde nobiles ſcutati, coccinum ſinguli galerum ſummo baculo præferebant. Horum veſtigium continuum ſequebantur cubicularij pontificij, & hos principum legati nobilitaſque Romana omnis: quos ſubdiaconus Apoſtolicus pontificiam ferens

crucem,

crucem, ſequebàtur, cui apparitores virgis caduceoque inſignes aderant duo. Poſt hos ex iis qui Pontifici maxime erant intimi duodecim, rubro omnes veſtitu facem ſinguli albam, duo alij argenteam ſinguli lucernam cum ſuo lumine ſacræ venerandæque hoſtiæ (quæ ab aſturcone albo ſub vmbella, quam circumdederant aulæa purpura auroque fulgentia, & pontificiis decorata inſignibus, geſtabatur) præferebant. Pone hoſtiam ibat ſacriſta: & poſt eum illi quibus concilij patres pro librariis amanuenſibuſque (ſecretarios vulgus appellat) vtebantur. Erat inter hos Æneas Syluius, is cuius paulo ante meminimus. Proximum his agmen, conſiſtorij pontificij aduocati cantoreſque, & ſcripturarij, ſiue actorum conſcriptores, & qui a rationibus erant. Hos ſequebantur ſubdiaconi duo, Græcus Latinuſque. Inſtratis poſt hos equitabant equis archiepiſcopi, epiſcopi, abbates & eccleſiaſtici præſules reliqui, quos proxime cardinales, & hos ipſuſmet tandem exiguo interuallo, Pontifex equo albo, & regio coccinoque ornatu inſtrato ſublimis ſequebantur, ſubeuntibus geſtantibuſque viciſſim vmbraculum octo ex proceribus. Ingens dextra læuaque Pontificem nobilium armatorum ad corporis cuſtodiam delectus comitabatur numerus. Poſt hos deſignator hoſpitiorum curiæ (marſchallum appellant) miſſilia, vbi conferti maxime homines (omnis enim ciuitas ad excipiendum ſpectandumq. nouum Pontificem effuſa erat) iacere & quidem ad arcendam, quæ circumſtabat multitudinem, ne gradienti Pontifici impedimento eſſet, proculius. Vltimi ibant qui ex Germania, Gallia, Italia, Hiſpania, & Sabaudia magno

venerant

venerant numero viri nobiles. Ædem Dominicanorum ſodalium ingreſſus Pontifex, vbi populo qui accurrerat bene fuiſſet precatus, cardinalibus proceribuſque cæteris pedes oſculandos præbuit, deinde ſumptuoſiſſimo epulo omnes ſplendide, & pro pontificia dignitate opipare in Baſilienſis præſulis ædibus excepit. Magiſtratibus inde miniſtriſque curiæ ſuæ conſtitutis, viros aliquot graues, doctos & ſanctitatis opinione claros celebreſque in cardinalium allegit collegium. Erat inter hos Ioannes monachus Dominicanus, vir concionibus publice habitis conſpicuus, qui paulo poſt deceſſit, & celebris ille Decretorum doctor Panormitanus, qui a Pontifice Eugenio Baſileam legatus miſſus, quæ pro iure eius confirmando allegaturus erat decreta, canoneſque iis ipſis, qua valebat eruditione, gratiaque, aduerſus eum, infami nūdinatione vſus eſt: ſed hic cardinalatu tandem abdicare ſe coactus, in patriam ſuam inglorius rediit. Amadeus quoque Thalarius Lugdunenſis archipræſul, Ludouicus Romanus, & Ludouicus Allemanus archipræſul Arleſius (admirandæ pietatis eruditioniſque viri omnes, adeo vt poſtremus miraculis quoque mortuus inclaruerit) purpureo donati fuere galero: ſed non diu admodum, fato paulo poſt ſublati, priores duo eo vſi ſunt. Pleriquc fuere tum præſules, quos Eugenium deſeruiſſe grauiter doluit pœnituitque, eos ſupplices ſibi in gratiam ſecum redire paſſus ille eſt, humaniſſimeque habuit. Diuiſa ſciſſaque hunc in modum deteſtando ſchiſmate (quod ſeptimum & viceſimum fuit) cum non leui orbis totius Chriſtiani incommodo ſacroſancta eccleſia, Galli primo Heluetiique Felici

 lici

lici fauere, cum quibus conſpirare Mediolani dux, Sabaudi, Pedemontani, Neapolitanique. At ab Eugenio potior nihilominus Italiæ ſtabat pars: Veneti in primis (qui Eugenio ciue gloriabantur) Florentinique & Tuſcia quaſi vniuerſa, pro qua graue longumque cum Mediolanenſi duce & Hiſpano rege bellum Eugenius geſſerat. Burgundiæ quoque dux Philippus ſolus inter Galliæ proceres (ex Felicis vxoris fratre genitus licet) Eugenio adhærebat, diſſidio quodam, quod cum Felice illi olim interceſſerat, dum cœptum ob Beauioloiſium dominatum, cum Borbonio duce bellum Felix trahit, & lentius ſegniuſque, ambos in gratiam inter ſe reducendi cupidus, adminiſtrat, motus. Huic principi quia magnæ tum opes, magnæque erant clientelæ, facile ille reges principeſque Chriſtianos cæteros, in ſuam tandem pertraxit opinionem, Eugenioque adiunxit. In Felicem imperator Fredericus eo nomine tertius primo propenderat: ſed eo paulo poſt deſerto, in Eugenij conceſſit partes. Germani, quia medij erant animo, neutros ſe medioſve appellare. Enimuero aliquanto tempore factiones hæ diuiſioneſque Chriſtianum exercuere orbem, donec Eugenio alios prorſus mores induente, & pro ſeueritate crudelitateque (quibus peſſimis vitiis præſulum procerumque animos vehementer a ſe alienarat) clementiam beneuolentiamque prudenter amplectente, tanta protinus animorum facta commutatio eſt, vt regum principumque & mortalium reliquorum omnium ſtudia erga Felicem prorſus deferueſcerent. Quod cum Mediolani dux Philippus (qui vnus excitatæ illius aduerſus Eugenium tragœdiæ author fuerat) animaduertens,

uerteret, dedecori ſibi futurum exiſtimans, ſi ſolus animum aduerſus Eugenium obſtinaret, fœderis quod inter Italiæ proceres initum tum, author fuit. Illi fœderi Eugenius quoque pontifex cum ſubſcripſiſſet, Imola Bononiaque vrbes & Flaminia vniuerſa ad eum, ex fœderis illius legibus rediere. Quem Bononienſibus tum præfecit (id enim obiter, propter rei nouitatem factique atrocitatem, inſerendum hic putaui) Balthaſarum Offidam, nullis hominem literis, ſed vafrum aſtutumque, dolo comprehenſum Franciſcus Sfortia (fœderis inter Venetos Florentinoſque dux) corio vrſino recens detracto, viuum inſui iuſſit, manuum membrorumque reliquorum omnium vſu illi adempto, ſed cibo abunde præbito. Qui vermibus ex recenti illo corio magno enatis numero, paulatim abſumptus, & diuturniore ſimul pædore exanimatus vitam miſere (lento ſublatus morbo) finiit. Sfortiam mouerat quod homo crudelis plurimos viros optimos, & in nulla deprehenſos noxa, quod res nouas eos Bononiæ moliri poſſe, temere ſuſpicaretur, nulla legum ſeruata forma de medio ſuſtuliſſet(& inter hos Italorum nobiliſſimum Antonium Bentiuolum, quem per colloquij ſpeciem comprehenderat) idemque de Sfortia facere conſtituiſſet. Crediderim auaritiam ſæuitiæ cauſſam præbuiſſe, nec quicquam homini huic crudeliſſimo viſum turpe quod eſſet quæſtuoſum. Diximus paulo ante, Burgundiæ ducem Philippum ſolum inter Galliæ proceres Eugenij ſequutum partes, cæteris, vt Felicem deſererent authorem fuiſſe. Idem cum & Galliarum regi Carolo eius nominis ſeptimo perſuadere conaretur, perfecit tandem vt peſſimæ

huius in eccleſia diuiſionis regem tædere inciperet, vſque cogitationes eo tandem ſuas conuertendas exiſtimaret, vt male inter ſe concordes Eugenium (cuius cauſſam meliorem eſſe cenſebat) Felicemque in concordiam reduceret. Cui rei dum non intermiſſo nocte dieque labore, totus intentus Carolus rex eſt, crebraſque nunc Romam, nunc Baſileam, nunc in Sabaudiam mittit legationes, Eugenium (cui iam Germania omnis, publica ad eum miſſa legatione, ſe ſubmiſerat) lethalis corripit morbus, ex quo paulo poſt ætatis anno ſexageſimo ſtato, pontificatus XV. & a nato Domino MCCCC*XLVI. ad VII. cal. Martias decedit. In eius locum Cardinalium omnium ſuffragiis Nicolao quinto ſurrogato, Sabaudiæ dux Ludouicus Felicis pontificis filius, concordiæ in eccleſiam inuehendæ, tollendique pernicioſiſſimi illius ſchiſmatis cupidus ſupra modum, ad Galliarum regem Carolum in Bituriges mittit, qui ſuo illum nomine vehementer obſecraret, rationem aliquam inire ne grauaretur, quo debitus Nicolao pontifici honos, debitumque ab omnibus præſtaretur obſequium. Plurimum quippe illi dolebat quod totius illius ſchiſmatis cauſſam omnem in vnum ſolumque patrem ſuum conferri paſſim videret, & quidem præter meritum vllum familiæ Sabaudicæ, quæ ſingulari ſemper obſeruantia Catholicam Romanamque eccleſiam fuerat proſecuta. Allatis eodem illo tempore ad Carolum regem de Nicolai pontificis electione literis, quanquam ex ſenatus ſui conſilio pro ſupremo ſibi ſubditiſque ſuis Nicolaum habendum decreuiſſet paſtore; non tamen committendum ſibi exiſtimauit, vt a cœpto pacificandæ in vniuerſum

MCCCC-XLVI.
*Al. XLVII.

vniuerſum eccleſiæ opere deſiſteret. Legatos in eam rem Lugdunum mittit, Ludouicumque Sabaudum ducem idem vti faciat, ſimul vt & Baſilea eodem mittatur, ſedulo monet. Conueniunt proximo Iulio menſe Lugduni præter legatos regios, archipræſul Treuirenſis, & quos præſul Colonienſis Saxoniæque dux (qui in Galliam ſub illud ipſum tempus ad Carolum regem eius ipſius negotij cauſſa venerant) miſere. Accurrerant quoque a Felice pontifice eodem miſſi, Ludouicus Allemanus Arleſij cardinalis & Præpoſitus Moniouenſis. Poſt varia Lugduni habita colloquia, negotioque in menſem vſque Nouembrem extracto, placet tandem vt Geneuam omnes ſe conferant; quo coram cum Felice colloquuti, eiuſque ex ipſomet mente intellecta, certi quid ſtatuere deinceps poſſent. Illis ad profectionem hanc ſe parantibus, aduenere oportune admodum Dunoiſij comes a Gallo miſſus rege, legatiq. aliquot Angli, qui vna cum reliquis, & archiepiſcopo Embrunenſi, Malicorneoque regulo, & Maſſilienſi præſule Siculi regis legato, Geneuam omnes abeunt. Cæterum cum eorum quæ Geneuæ conuenerant, Nicolaus pontifex pacis auidiſſimus factus certior, miſſos a regibus principibuſque ad ſe legatos, cardinaliumque collegium ad deliberationem adhibuiſſet: & regum, Galli præſertim filiique (cui ante cæteros res ea cordi erat) & principum reliquorum vehementiſſimis motus inductuſque precibus, plura tandem multo quam conſtituerat, aduerſario Felix conceſſiſſet, priſtinam protinus, tenebris ſummo cum mortalium omnium gaudio pulſis, tranquillitatis faciem eccleſia recepit. Felix quippe qui inuitus pontificatum

 ſuſceperat,

ſuſceperat, Bolomerij, hominis animo perfidi & ſubdo-li, auaritiam ac libidinem occultantis, & cardinalium quorundam, quibus cardinalatu ſe abdicare ſuadentium videbatur (erat inter hos Panormitanus Abbas) inue-ctis rationibus, quibus turpe illi futurum demonſtrare conabantur, ſi nulla quæſitum ambitione, ſed vltro abſenti a concilij patribus delatum pontificatum, quem totos iam annos nouem poſſediſſet, deponeret: regum & principumque (quorum legati idem ab eo quod à Ni-colao pontifice, contendebant) voluntati permiſit: & quia ante omnes priſtinam eccleſiæ faciem tranquillita-temque reſtitui cupiebat, concilio Baſilienſi (quod pau-lo ante, veniente cum magna militum in eas oras motu Ludouico Delphino Viennenſi, Caroli Galliarum regis filio, dilabentibus præ metu patribus, fuerat ſolutum) authoritatem omnem abrogat, eoque Lauzannam tranſlato, poſtquam conuentum vnum (ſeſſionem ap-pellant) celebraſſet, pontificatui tandem in pleno car-dinalium procerumque reliquorum conſeſſu publice palamque, omnibus qui aderant vehementer admiran-tibus, renuntiat, & ius omne quod ad eum hactenus habuerat, in Nicolaum quintum Pontificem, cum ſin-gulari admirandaque abiectione animique ſubmiſ-ſione transfert. Quam in tanto principe, tot regnis procerumque affinitatibus præfulgente, admirati ſingu-larem modeſtiam, concilij illius Lauzannenſis præſules, publico cum elogio proſequendum celebrandumque decreuere. Quod in hæc conceptum verba:

„ Sacroſancta, Lauzannenſis ſynodus in ſpiritu ſancto
„ legitime congregata, reuerendiſſimo & cariſſimo filio

Amadeo,

Amadeo, pridem Felici Papæ quinto, ſalutem & om- »
nipotentis Dei benedictionem. Tam maxime de vene- »
rabili eccleſia meritus es, vt præſentes habeant vberri- »
mam tuarum laudum memoriam, futuris quoque tui »
nominis felix ſempiternaque recordatio relinquatur. Tu »
ad eccleſiæ ſubſidium euocatus quanta vnquam fuit »
perſecutione vexatæ veniſti. Tu illi profuſa liberalitate, »
ſumma induſtria, exacta diligentia, dedita opera opitu- »
latus es. Tu tandem tranquillam populo Chriſtiano »
concordiã reddidiſti pariter & pacem. Leguntur quam »
multi qui belli paciſque tempore inſeruierunt eccleſiæ, »
commemorandi per omne ſæculum obſequiis: ſed per- »
ſonæ cauſſa, rerum temporiſque diſparitas ſuperemi- »
nentiam meritorum coarguunt. Nouit orbis vniuerſus »
ſanguinis tui regiam claritatem: vidit & audiuit quam »
continuas ſollicitudines indeſinenſque certamen, pro »
authoritate ſacrorum generalium conciliorum, & veri- »
tate catholica ſuſtinendis nobiſcum iniſti, opulenta »
quiete abiecta retrorſum. Nunc autem dum per tuæ »
humilitatis excelſum medium pax in omnes Chriſtia- »
nos diffunditur; quo te nomine niſi zelatorem concor- »
diæ, paciſque authorem appellent? Quas ob res congra- »
tulationibus, promeritiſque honoribus perſonam tuam »
proſequi cupiens hæc ſacroſancta in ſpiritu ſancto legi- »
time congregata ſynodus, vniuerſalem eccleſiam repræ- »
ſentans, & inter cætera conſiderans, quod te ipſum par- »
ui facere voluiſti vt pacata quietaque exaltaretur eccleſia; »
Te Sabinenſem epiſcopum, ſanctæ Romanæ eccleſiæ »
cardinalem, ſedis apoſtolicæ in terris & iuriſdictionibus »
dilectorum eccleſiæ filiorum, nobilium virorum ducis »

Sabau-

» Sabaudiæ & principis Pedemontium, ac Montisferrati,
» & Saluciarum marchionum, in comitatu & territorio
» Aſtenſi, nec non in prouincia Lugdunenſi citra Sagonam,
» atque Auguſtenſi, Lauzanenſi, Baſilienſi, Argentinenſi,
» Conſtantienſi, Curienſis & Sedunenſi
» ciuitatibus, & diœceſibus legatum vicariumque perpetuum
» facit, creat & nominat. Tibique in ſancta Dei ecclesia
» primum poſt Romanum pontificem locum pro
» tempore conſtituit, cōſignat, & decernit: qui quidem tibi
» ad ſuam præſentiam accedenti aſſurget, duntaxat oris
» oſculum exhibēdo. Atque vt altiſſimi in terris honoris,
» quem ſola dilectione vniuerſalis pacis contempſiſti,
» multa manifeſtaque in tua perſona ſigna remaneant, tibi
» vt habitum, & inſignia papalia, demptis delatione
» corporis Chriſti, annulo piſcatoris, cruce in pedibus, ac
» vmbraculo, deferre, ac inſigniis ac poteſtate legati vti,
» quoties te extra terminos tuæ legationis egredi contigerit,
» valeas. Nec non vt in curia Romana vel generali
» concilio perſonaliter comparere minime tenearis, concedit,
» & indulget per præſentes. Datum Lauzannæ, &c.
» ſeptimo calendas Maij, anno a natiuitate Domini

MCCCC-XLIX. MCCCCXLIX. Præclarum, hercule, & tali dignum principe (cuius actiones omnes cum pietate modeſtiaque, & boni publici cura ſemper fuere coniunctæ) eulogium. Schiſmate omni ea ceſſione ſublato, priſtinaque eccleſiæ tranquillitate reſtituta, Ripallios ad priſtinum vitæ genus Amadeus rediit: vbi diuinis piiſque meditationibus actionibuſque totus intentus, ſæculi tandem

MCCCC-LII. eius anno (vt plerique opinantur) quinquageſimo ſecundo (alij enim, quinquageſimo demum nono obiiſſe ſcribunt)

bunt) menſe Ianuario, non ſine comparatæ ſanctitatis opinione deceſſit, ſepultuſque fuit. fælix (inquit Pius ſecundus Pontifex, cuius ſub Æneæ Syluij nomine paulo ante meminimus) princeps, ſi ſenium ſuum eccleſiaſticis titulis non fœdaſſet. Scribit Amadeum hunc Bodinus, cum de marchionatu Saluciarum cum Delphino contenderet, & ſua ſe voluntate ad Galliæ ſenatum vterque cõtuliſſet, victum fuiſſe: ac rurſus alio iudicio anno MCCCC. fractum, & omnem cauſſam reſtituere damnatum. Ab Amadeo hoc ſtatutorum Sabaudicorum, anno ſæculi illius triceſimo, menſis Iunij die XVII. libri quinque publici facti ſunt, quibus hic præfixus titulus: Nos Amadeus dux Sabaudiæ, Chablaiſij, & Auguſtæ princeps, marchio in Italia, comes Pedemontium, Gebennenſium, Valentinenſis, & Dienſis, dominuſque ciuitatis Niciæ, & Vercellarum. Author eſt Paulus Iouius, Philippum Mediolani principem, priorem vxorem ſecuri percuſſiſſe, vt Amadei huius filiam euentu ſterilem duceret: non ſine dote modo confectis nuptiis, verum, vt ſoceri ſocietatem promereret, vltro traditis Vercellis.

V BONA

*Margaritā alij, nonnulli Annam, plerique Catharinam appellant.



*Bona Burgunda Philippi audacis Burgundiæ ducis filia, infans infanti Amadeo deſponſa. Sunt qui filiā fuiſſe ſcribant Philippi Mariæ vicecomitis Mediolanenſis, ſed errant. Ille quippe Amadei huius filiam Mariam vxorem habuit. Amadeo hoc Sabaudiæ tenente ſceptra; imperabat per Hollandiam, Hannoniam atque Zelandiam Iacoba Bavara, Ludouici Bauari imperatoris nepote genita, mulier genere atque forma, præterea amplo Dominatu ſatis fortunata, at viris non item: quam annis totis nouem & decem, quibus imperio illo potita eſt, omni ratione potentior, & res cunctas ex lubidine magis quam ex vero celebrate obſcurateque ſolita fortuna, mirabiliter exercuit, infractam impauidamque ad omnia, & quæ virilibus curis fœminarum vitia exuerat. Ad hanc cum mater Margareta Ioannis Burgundiæ ducis, & Bona huius ſoror ingentis pretij munera varia per adoleſcentes aliquot nobiles miſiſſet; neque maximis domi foriſque geſtis bellis exhauſta, ſuppeteret, quo adoleſcentes illos nobiles remuneraretur; retinendi auida honoris, ad Ioannem Montfortij mittit vicecomitem (Hollandiam eius nomine paulo ante irrexerat) qui mutuum ab eo argentum poſceret. Ille multis ſe excuſare verbis, dicereque, pecuniam ſuam omnem, in eos ſumptus quos in

Lvdovicvs dux.

Philippvs Geneuæ comes, liberis carens.

Amadevs, dux Achaiæ Eliæ Reuſnero, cæteri enim eius non meminere.

Antonii duo prima ætate exſtincti.

Maria vxor Philippi Mariæ vicecomitis Mediolanenſis, cui anno MCCCCXLVII. nubit. Quod e vomica circum femora laborabat, cum viro nunquam rem habuit. Eo autem defuncto, cœnobium quod ipſamet exſtruxerat, ingreſſa reliquum ibi vitæ tranſegit. Priorem vxorem Beatricem Tendam Facinij Canis viduam, ream adulterij cum Orumbello citharœdo admiſſi, nec in tormentis quicquam contra pudicitiæ decus confitentem, ſecuri percuſſerat Philippus, vt domum vacuam nouo ſcilicet matrimonio faceret, quaſi imparis (inquit Iouius) coniugij pertæſus, cuius non dubiis auſpiciis ad imperium peruenißet. Illa certe intempeſtiuæ libidinis, & maioris imperij auida, vix deterſis mortuo priore marito lachrimis, inauſpicati coniugij thorum ſubiens quater centena millia aureorum numum dotis nomine dinumerarat.

Margareta (Sophia aliis) ter nupta, Ludouico tertio Andegauenſi, Siciliæ regi; Vlrico octauo comiti Wirtembergenſi, cui Henricum

Hollandica illa eius nomine obita adminiſtratione feciſſet, a ſe erogatam. Eandem cum & apud alios, idem rogatos, tuliſſet repulſam, triſtis ſupra modum, & quid rerum tandem ageret incerta, Franconem Borſalium, prima nobilitatis virum, factioſum opulentumque accerſiri ad ſe iubet. Mittendi ad eum Bauaræ author fuit Guilelmus Bieus, Godeliunm appellant alij, equique quo Iacoba vehebatur curam habuiſſe aiunt. Cum ſemel iam atque iterum vocatus ille veniſſet, neque ad colloquium admiſſus (quod illo conuento ſibi haud opus eſſe Bauara diceret) domum redire iuberetur (ſtatim enim Franconem Bauara vt vidit, animo confuſa, mutui apud eum, propter repulſæ metum, quod contrarias ille hactenus ſuſtinuiſſet partes, mentionem facere non ſuſtinuit) ex Guilelmo tandem Bieo, quid rei ageretur edoctus clam, Accipe, inquit, Guilelme arculam hanc cum clauibus (in illa magna auri vis eſt) eam ad Dominam noſtram deferto: ex ea quantum lubet, ſibi ſumat, petere obſecrareque me, imo magni ita ſi faciat, beneficij habiturum loco, illi dicito. Cum ſæpius iam in hunc modum admiranda liberalitate Bauaræ neceſſitatem ille ſubleuaſſet, & plurimum ſibi supereſſe diceret, quo pro voluntate arbitrioque ſuo vti illa, quandocunque vellet poſſet, vehementer eius ſibi conciliauit animum. In eius itaque conſpectum ille vt venit: Amplius, inquit illa, eſt, quod tibi debeo Franco, quam vt ſoluendo par ſim: quare quoad viues nunquam tibi gratiam redditam putaueris, ſemper apud me integra erit, denique nihil me ſciente fruſtra voles. Altius quam quiſquam crederet ea Iacobæ comitis verba in Franconis deſcendere pectus, præſertim cum ſermonem illa ſuum hiſce clauderet verbis: Quando itaque grandi huis tuo in me beneficio compenſando mea impares (vti dixi) Franco facultates ſunt, totam ipſam me tibi dedo dicoque. Ille hoſpitio inde exceptam regioque cultu habitam, de matrimonio compellare auſus, vxorem tandem duxit. Ægerrime eas nuptias Burgundiæ dux Philippus, auunculo Bauara natus tulit, ſine cuius conſenſu nupturam illa ſe negauerat, præſertim quod in domum Franconis denupſiſſet, cuius auum Ioannem equeſtris ordinis virum pleriquememinerant. Comperio tamen nobilem veteremque familiam hanc eſſe, & a Swauiæ inde ducibus originem ſuam repetere. In Hollandiam itaque ex Gallia per alterius negotij ſimulationem propere veniens Burgundus, Franconem, ſpecie amicitiæ

ricum comitem peperit, ex quo Henrico nata Maria prior vxor Henrici Brunſwicenſis. Tertius illi vir Ludouicus comes Palatinus Rheni, cui Philippum peperit electorem Palatinum, maritum Margaretæ Bauariæ ducis. Obiit Ludouicus anno MCCCCXLI. *Philippus vero* MDVIII. *Alij Margaretam hanc filiam fuiſſe aiunt Amadei noni; ſed mihi id nunquam probauerint.*

MARGARETA *altera, diſceſſit innupta.*

BONA *comes Montfortenſis. Duarum harum poſteriorũ Amadei filiarum, qui non meminere, in earum ſubſtituũt locum, Ioannam, quam nuptam fuiſſe aiunt Ioanni Iacobo marchioni Montiſferratenſi, eique peperiſſe Ioannem, Boniſacium & Alicium.*

vocatum ad epulas, comprehendi & in Ripelmondicam arcem auehi diligenterque ibi aſſeruari iubet. Bauara verita ne capitis tandem ſupplicio factum hoc Franco (pleriſque ex nobilitate quod egregia eos fama opibuſque anteiret plurimum inuiſus) lueret, (iam enim vt occideretur arcis præfecto fuerat imperatum, cuius tamen paulo poſt imperij illam pœnituit, præfectumque, quem facundia ſua Franco moratus erat, quod primis iuſſis non paruiſſet laudauit) oppidis aliquot vectigalibuſque contenta, ditiones ſuas omnes, marito libertatem vt impetraret, in Burgundum ſub certis conditionibus (quas in Hollandia videre annalibus eſt) transfert. Burgundus aurei velleris ſodalitio aſſcriptum Franconem, in Bauaræ gratiam Oſteruandiæ donat comitatu. Fama eſt, at fama tantum (neque enim id me legere memini) Iacobam hanc Bauaram, cum ad Franconem Borſalium, quæſitiſſimis ab eo excipienda epulis, diuertiſſet, crebraque triclinij parietes ſalice, cui D. vtrimque appicta erat litera, aulæorum loco, vidiſſet exornatos, admirabundam quæſiiſſe ex eo, quid nam rei ſalix arbor, quid aſſcripta D. litera portenderent; reſpondiſſeque tandem vrgenti reſponſum, Franconem, quod quia animum affectumque erga eum ſuum, reuerentia pudoreque retentus, propalam detegere auſus non fuiſſet, tribus idipſum verbis hiſce, DOMINÆ SERVVS DEVOTISSIMVS, *qua repetita bis litera D, & dictionis ſalicis litera capitalis S. tacite repræſentarent, voluiſſe ſignificatum. Latinis id quam proxime fieri potuit, ſenſu nonnihil deflexo, exprimere viſum fuit verbis; quod noſtrate alioqui lingua, qua vſus ille eſt, & qua ſalicem arborem* WILGE *appellamus, propius ſignificantiuſque interpreteris,* DINEN WILLIGE DIENAER. *Quo eleganti lepidoque commento delectata plurimum Bauara, & recens accepti beneficij memoria animo eius obuerſante, Franconem dignum cenſuit, quem in thori menſaque admitteret communionem, neque ſpreuit vt imparem.*

DE LVDOVICO ALTERO SABAVDIAE DVCE.

LVDOVICVS Sabaudiæ dux alter, Amadei ducis primi filius, Geneuæ exiſtens comes, & Pedemonti princeps, euecto ad pontificatum patri anno poſt
MCCCC-XXXIX. natum Dominum MCCCCXXXIX. ſuccedit, paternarum virtutum, & pietatis inſignis æmulator, & cui Dei metus amorque rebus cæteris omnibus carior ſemper fuit. Quibus impulſus, patri, ſua partim ſponte, partim vt eorum hominum quorum rumore arguebatur in ambitio-

ambitionem flexiſſe, animis eam eximeret opinionem, in eam rem ſatis alioqui propenſo, ſed aliorum conſiliis plus æquo tribuenti, abdicandi pontificatus, Galli regis ad eam rem vſus opera, author (vti oſtendimus) validiſſimus fuit. Cui ſanctiſſimo eius propoſito cum vehementer Bolomerius Sabaudiæ Cancellarius, homo omni flagitiorum ſcelerumque conſcientia merſus (qui vt erat auaritiæ extremæ, per fas nefaſque ingentes cum multorum iniuriis coaceruarat opes) ſui quæſtus cauſſa fuiſſet aduerſatus, dubiumque non eſſet quin longe ante pontificatui Felix, validus ſemper ſpernendis honoribus, fuiſſet renuntiaturus, ni eius vnius obſtitiſſent conſilia, graui ſuccenſus ira Ludouicus, ſtatim vt pacificatum fuit, hominem nefarium comprehendi, & eorum quorum accuſabatur, palam conuictum, in vicinum lacum, ingenti collo eius alligato ſaxo (ridente gaudenteque nobilitate vniuerſa, cui ſemper ille fuerat aduerſatus) poſtquam ex vinculis cauſſam dixiſſet, abiici iubet. Decedente ſub hos dies Philippo Maria Mediolani duce, qui Mariam Ludouici ſororem vxorem duxerat, cum populus Mediolanenſis tyrannidis omniſque primorum ciuitatis imperij pertæſus, in libertatem ſe vindicare volens, duodecimuiratum in vrbe ſua, arce funditus euerſa, & Philippi ducis, quod auarius crudeliuſque imperaſſet, teſtamento varie lacerato, inſtituiſſet (populi ſcilicet imperium iuxta libertatem, paucorum dominationem regiæ libidini propiorem eſſe ratus) ſupplexque a Frederico eius nominis tertio imperatore, ingentis ad eum pretij aureo miſſo ſcypho (qualem ſingulis annis miſſurum ſe promittebat) vt nullius in po-

ſterum dominatui ſubiiceretur, petiſſet (ſubierat quippe reipublicæ cura, fruſtra a Philippo tranſlatæ, ſi apud generum eius relinqueretur) Veneti capta hinc occaſione, cum maximis in Mediolanenſem agrum irruunt copiis, oppidaque aliquot, inter quæ Placentia, Cremona, Laudum Pompeium, capiunt. Quorum exemplo cum & Franciſcus Sfortia Philippi gener loca quoque aliquot in eodem tractu inuaſiſſet, Ludouicus hic ea quoque vti volens occaſione, Valentiam, oportunam finitimamque ſibi vrbem aliaſque nonnullas occupat. Cæterum belli quod inter Carolum Galliæ regem eo nomine ſeptimum, & Ludouicum hunc anno ſæculi
MCCCC. LII. eius quinquageſimo ſecundo exortum, & compreſſum paulo poſt, variæ feruntur cauſſæ. Grauiter moleſteque admodum Carolum regem tuliſſe aiunt nonnulli filij ſui Delphini Viennenſis a ſe diſceſſum, qui quod ferocia ætatis, prauiſq. impulſoribus, Gallia relicta ad Philippum Burgundiæ confugiſſet ducem, graue aduerſus Burgundum animo Gallus odium conceperat, eique iuſſerat denuntiari, non falſo (mehercule) vaticinio, quod vulpem in ſuo foueret ſinu, qui eius olim pullos eſſet comeſturus. Ludouico quoque duci quod filiam ſuam Carolam Delphino ſe haud conſcio deſpondiſſet, non minus (inquiunt) infeſtus, annos totos quinque matrimonium hoc variis artibus fuerat demoratus: ſed ſpe ac iuuenta properus, diuturnioriſque impatiens moræ Delphinus cum Burgundo agit, ad Sabaudum mitteret, qui filiam eius Carolam, legitimam ſibi (vti aiebat) vxorem, ad ſe vel tandem mitti poſtularent. Miſſus in Sabaudiam Montaguius regulus, cum aduentus ſui

cauſſam Ludouico duci expoſuiſſet, Carola ei (quod rem æquiſſimam poſtularet) Namurcum ad Delphinum ſponſum ſuum cum ingenti apparatu multoque comitatu traditur abducenda. Exceptam perhonorifice puellam, vxorem protinus eo in oppido Delphinus ducit. Torſit mirabiliter Carolum regem ea res, quod in ſui contemptum factum id exiſtimabat. Quem itaque Picardiæ bellum illaturus conſcriptum habebat militem, vt prouinciæ illius oppida aliquot ad Sequanam, Peronam, & Fanum Quintini inter hæc, quæ ex pacificationis Gandenſis legibus Burgundo parebant, per proditionem clam occuparet, eum ipſum (poſtquam detectis inſidiis, diligenter in omnem partem Burgundus prouidiſſet) aduerſus Sabaudum conuertere ſtatuit. Nec alia tam intima illi cauſſa cur bellum hoc ſuſciperet. quanquam ne temere, & ſine cauſſa ſuſceptum videretur, Valentiam Confluentiamque, & loca aliquot alia in Mediolanenſi ſita agro (in quem ſibi ducatum ius eſſe præſeferebat) quaſi ad ſe pertinentia, fæciali in eam rem miſſo, tradi ſibi poſtularet. Ad bellum itaque res iam in Sabaudia cum ſpectaret, accidit peroportune, vt miſſus a Pontifice legatus, pacis inter Gallum Anglumque faciendæ cauſſa, cardinalis Toutevilleus Lugdunum eo ipſo tempore veniret. Is enim diſſidij illius factus certior, niſi Carolo Ludouicoque inter ſe in gratiam reductis haud conquieuit. Vera quidem ſunt, quæ de Delphini ad Burgundum tranſitione tradunt, qui huius rei ſunt authores: ſed cum ſub annum demum quinquageſimum ſextum eam tranſitionem factam conſtans ſcriptorum omnium ſit opinio, fieri non poteſt vt ori-

vt originem hinc habeat bellum hoc, quod quadriennio ante cęptum reſtinctumque (vti diximus) fuit. Belleforeſtus aliique, qui hiſtoriam hanc ex profeſſo tractarunt, Sabaudum ambigua fide in amicitia regis Galli fuiſſe, excurſioneſque in eius agros feciſſe, & hinc Gallo ſuſcipiendi aduerſus eum belli præbitam occaſionem ſcribunt. Alij, pleroſque ex nobilitate Sabaudica, duro imperio habitos (fortaſſis quod a ſuſcepta de pontificatu deſerendo ſententia Felicem eius patrem deducere conati fuiſſent) apud Gallum ea de re conqueſtos, Gallumque in eorum gratiam bellum ſuſcepiſſe affirmant. Sed horum authores quoniam non omnes ſunt, mihi quoque in incerto relictum ſit. Robertus Gaguinus Sabaudum in Carolum regem nonnihil commiſiſſe, & regem ea propter irritatum (ſunt eius hæc verba) expeditionem aduerſum eum ſuſcepiſſe refert: ſed *delicti* modum ſcribere (inquit) non poſſum, quem a ſcriptoribus non accepi. Cæterum quod Paradinus ſibi videri ſcribat, pacis illius cõueniſſe legibus, vt Delphino Carola Sabaudi filia, Amadeo contra Sabaudi filio Iolanda Galli regis filia natu maxima nuberent, neque id ego affirmauerim: præſertim quod plerique hiſtoriographorum Carolæ cum Delphino nuptias in annum demum quinquageſimum ſextum aut ſeptimum incidiſſe & Namurci celebratas ſcribant. Ludouici huius filius ſecundo genitus Ludouicus, ducta Carola Ioannis regis Cypri filia vnica, cum in Cypri ſucceſſiſſet regnum, a Iacobo Carolæ vxoris fratre notho (vt ferme acerrima proximorum odia ſunt) inuiſo ſorori infenſoque, homine longe ſceleſtiſſimo, Ægypti Sultani auxiliis, regno pulſus

pulſus fuit, cæſis fugatiſque quas Ludouicus equiteſque Rhodij, ſubſidio miſerant copiis, Iacobuſque tanta potentia ſubnixus, regnum inuaſit. De Cypri regni amiſſione ſcribens alicubi Pius eo nomine pontifex ſecundus, poſt beneficiorum quæ in Carolam reginam (quæ Romam profugerat) contulerat, enumerationem, hiſce tandem ſermonem illum finit verbis.

Sed digna Dei vltio, cum nos apud Mantuam con- “
uentum ageremus, regeſque hortaremur, vt in tutelam “
religionis aſſurgerent, neque hinc Turcas inde Sarace- “
nos in Chriſtianos ſæuire permitterent, huius Ludoui- “
ci pater, qui multa promiſerat, inter primos repertus “
eſt qui orthodoxæ fidei auxilium negauere. Ipſe quoque “
Ludouicus adoleſcens, cum per Padum nauigaret is, eſ- “
ſetque Mantuæ propinquus, eo in loco vbi Mincius Pa- “
do miſcetur, haudquaquam dignatus eſt nos viſere, aut “
noſtram benedictionem expoſcere: quibus de rebus ſæ- “
pe oratores Sabaudenſes alloquuti, eorum facta dam- “
nauimus, futurumque diximus, vt in pœnam eorum “
quæ pater faceret, filius regnum amitteret, fruſtraque “
opem ab aliis peteret, quam ſuus pater negaſſet eccleſiæ: “
ſicut poſtea cum magno religionis damno ſequutum “
eſt. Crediderim cum Paradino, Ludouicum ducem in mittendis Pio pontifici ſuppetiis ſegniorem minuſque fuiſſe obſequentem, quod meminiſſet adhuc, Pium ante adeptum pontificatum, cum rebus ſuis minus lautis patri ſuo Felici pontifici ſub Æneæ Syluij nomine a ſecretis eſſet, eo deſerto ad Eugenium Pontificem hoſtem eius tum capitalem tranſiiſſe. Ea quippe humanæ conditionis eſt fragilitas, vt, quoniam bona malaque

non ſua natura ſed pro affectu plerunque æſtimantur, quæcumque ab eo cui minus bene volumus geruntur proficiſcunturve, in odium, iudicium noſtrum vertat, & aliorum malefacta, quam eius optime ab ipſo cogitata, probemus magis. Cæterum cum Amadeus Ludouici filius natu maximus patri auoque ſimillimus ad ſolitarium vitæ genus, quam ad rempublicam, aptior eſſe videretur, & a bellis moleſtiiſque (patrem in hoc referens) abhorreret; prorſus alia autem longe in filio natu minimo, adoleſcente decora proceritate, eximia ſpe, qui ad gloriam via virtutis graſſaretur, appareret indoles, cuius iam ſpecimen aliquod dederat; nobilitatis, procerumque Sabaudicorum omnium animus in Philippum propendere magis cepit. Illum præ patre fratreque (cuius per ignauiam ætatem agentis, ſi patri ſuccederet, ceruicibus onus impoſitum iri aiebant, ſub quo concideret) amplecti, illum admirari, illum vnum obſeruare comitarique, illi, obiecta ſpe principis loci, obſequi: donec aduertit Ludouicus pater, forte an quod audierat? qui vt erat valetudine non ſatis firma, & abdomine grauis, in ſuſpiciones indulgentior, ne quid aduorſum ſe Philippus tandem filius, iuuenis potentiæ promptæ & ſtudio popularium accinctus moliretur, vehementer, vergentibus iam annis ſuis, metuebat. Alij offenſi erga Philippum filium animi cauſſam fuiſſe aiunt, quod ex equeſtri ordine duos, ipſi Galloque regi longe gratiſſimos, interfici ille iuſſiſſet. Ad Galliarum itaque regem Ludouicum eius nominis vndecimum generum ſuum vna cum Amadeo filio, ſæculi eius anno ſexageſimo-
MCCCC. LXIIII. quarto, irarum plenus profectus, querelas ad eum ſuas defert.

defert. Ille confirmatum oratione ſua ſocerum ſecurum ab ea parte eſſe iubet: miſſoque protinus ad Philippum ex domeſticis ſuis quodam primæ nobilitatis iuuene, quoniam cum eo communicare quæ vellet, haberet, petit, ad ſe venire, ſtatim dimittendus, ne grauetur. Nihil ſubeſſe mali ſuſpicatus adoleſcens, ad regem ilico properat, a quo, contra datam fidem retineri iuſſus, in Locheſiam abducitur arcem, vbi biennio toto, cum ſummo nobilitatis Sabaudicæ procerumque (apud quos patris alienatio amorem auxerat) luctu, captiui inſtar habitus fuit. Cæterum biennio eo decurſo, Ludouicus dux Lugduni, quo Galli regis conueniendi cauſſa venerat, imperij ſui anno viceſimo ſexto (neque enim ducis titulo, antequam ad pontificatum eueheretur pater, vſus fuit) decedit. Corde eius in Cæleſtinorum ſacra æde (quam adoleſcens patre iubente eo loci exſtruxerat) ſepulto, corpus Geneuam deportatum Annæ vxoris eius exuuiis ſociatur. In eadem illa æde epitaphium quod infra aſſcripſimus, illi poſitum fuit.

Sunt quibus eſt animus ſublimia condere iam tum
Nominis æterni quæ monumenta forent.
Non ſic illuſtres Amadeus & hic Ludouicus
Sabbatiæ primi conſtituere duces,
Ille ſuum hic nobis Cæleſtinenſibus hortum
Inſignem copiis pomiferumque dedit.
Alter at hanc poſuit tanto ædem principe natus,
Hic vbi fulgebat regia celſa patris.
Ad quid ea? vt populis vlla non laude minores
Perpetuum canerent hos meruiſſe decus?
Non. ſed in hoc ſolum vt votis penetrare liceret

» *Cælum, & cælicolis thura Sabæa dare.*
» *O pietas! diuum curauit ter terque triumphos,*
» *Neuter ob id diuum de grege pulſus eat.*
» *Exta tamen noſtri Ludouici hic iure, Gebennis*
» *Oſſa ad dilectæ coniugis oſſa iacent.*
» *Mille quadringentos annos ſex & decies ſex*
» *Claudebat triſtis funeris atra dies.*
» *Subtrahe eo ex numero decies ſex, annus erit quo*
» *Cæleſtinenſes hanc ſubiere domum.*

Per hæc ipſa tempora, anno ſcilicet reſtitutæ ſalutis
*al. XIIII. cal. Iul. MCCCCLIII. ad quartum cal^as Iunias, in quem tum diem feriæ pentecoſtales incidere, Byzantium, Thraciæ oppidum, vltra Chalcedonem Bithyniæ vrbem ſitum (quod Conſtantinus magnus a Gallieno, & Pertinace imperatoribus euerſum, a fundamentis reſtaurauit, & Conſtantinopolim de nomine ſuo voluit appellari) celeberrima illa imperatorum Orientis ſedes, a Mahomete eo nomine ſecundo imperatore Turcico, Georgij Seruiæ deſpotæ ex Maria filia, muliere Chriſtiana, nepote, quinquageſimo quarto obſidionis die, Conſtantino Palæologo imperatore inter cæteros cæſo, cum ſempiterno Chriſtiani nominis probro per vim, haud incruentis vtrimque certaminibus, expugnatur. Nihil illa victoria fuit crudelius. Quanta enim cædes, & ſtrages promiſcui ſexus, & ætatis edita ſit, quomodo in excelſiſſimos quoſque eminentiſſimæ ciuitatis viros, variis ſuppliciorum generibus ſæuitum, quot virgines matronæque (ex quibus Conſtantini imperatoris vidua filiæque fuere) violatæ, & poſt violationem per ſummam crudelitatem diſſectæ, templa quoque quomodo (diuorum

reliquiis

reliquiis canibus paſſim obiectis) profanata, & quæ alia præterea tum in contemptum Chriſtianæ religionis perpetrata ſcelera flagitiaque ſunt, ne in operis quidem iuſti materia, nedum huius tam alieni ab eo argumento, plene ſatis exprimi poteſt. Euerſo Orientis imperio Mahometes, epicureiſmum amplexus licet, & tam a Mahumetiſmo quam a Chriſtianiſmo, in quo tamen ad annum ætatis vſque xxv. diligenti matris cura perſeuerauit, auerſus, Mahometicæ blaſphemiæ ibi ſedẽ fixit. Veriſſime profecto Velleius Paterculus, Quemadmodum vrbium imperiorumque, ita gentium nunc florere, nunc ſeneſcere, nũc interire fortunam dixit. Admiratione dignum, neque myſterio carere videtur, cæptum anno poſt natum ſeruatorem CCCXXIIII. Conſtantini imperatoris, Helenæ filij, auſpiciis imperium Conſtantinopolitanum, poſt mille centum viginti & nouem annos, imperante eiuſdem nominis Conſtantino, cui ipſi quoque mater Helena nomine, euerſum finitumque fuiſſe. Sunt qui auaritiam & ambitionem expugnationi huic cauſſam præbuiſſe ſcribant, dum ciues ditiores recuſant vlterius contribuere ad alendos & conducendos milites, pauperiores vero iam ſatis expoliati ditiorum opibus inhiant, & ex rapto viuunt. Nullum (hercule) vnquam Chriſtianis barbarus ille impiuſque tyrannus ademit locum, quo non per Chriſtianorum principum mutua inter ſe diſſidia potitus ille ſit. Quoties enim Chriſtiani principes proceresque concordes agunt, ſpernitur Turca: vbi diſſenſere, dum ſibi quiſque contra æmulos ſubſidium vocant, accitus in partem, aduerſum omnes valeſcit. Vtinam, vtinam,

qui rerum nunc per Chriſtianum potiuntur orbem, propius apud animum id vel tandem expendant ſuum, neque diſſidere obſtinati, finitima imperio Turcico loca reliqua, quibus tyrannus ille cum tot armatorum hominum millibus imminere certo dicitur, grauiſſimum, & morte ipſa crudelius iugum per iuges ſuas diſcordias accipere patiantur!



A N N A *Luſignana (Ioanna aliis) Iani Luſignani Cypri regis, & Carolæ Borbonia (Helenæ aliis, cui Brunſwicenſis dux, vt aiunt, pater) filia vnica, nubit Ludouico Camerini Domini anno* MCCCCXXXIII, *eique proles parit ſedecim: ex quibus maximi atque potentiſſimi plerique Chriſtiani orbis reges principeſque orti. Chamberyum, in qua vrbe Sabaudiæ proceres regiam habere ſolent, Camerinum Latini appellant, non autem comita-*

A M A D E V S *dux.*

LVDOVICVS *Cypri rex ab vxore Carola.*

I A N V S *Geneuæ comes (Ioannes aliis) cui filia Ludouica, nupta Franciſco Luxenburgenſi, Meinæ, Prouinciæ, & Toniſii comiti, cui marchionatum Baſgeum in dotem attulit.*

IOANNES LVDOVICVS *epiſcopus Geneuenſis.*

P E T R V S *epiſcopus Geneuenſis, cuius pauci meminere.*

FRANCISCVS *archiepiſcopus Auxitanus.*

I A C O B V S *Rhomontij comes.*

P H I L I P P V S *Breſſæ comes, & Sabaudiæ deinde dux.*

C A R O L A *Ludouici Galliarum regis vxor. Carolæ huius ſororem Paulus Æmylius Frederico ſecundo Siciliæ regi nuptam ſcribit. In confeſſo eſt, Frederici regis vxorem priorem Sabaudiæ ducis fuiſſe filiam, quanquam nonnulli contradicant.*

M A R G A R E T A *nupta Petro Luxenburgenſi Briennæ & inde ſani Paulini comiti. Alij Ioannis Marchionis Montiſferrati vxorem fuiſſe aiunt, illique peperiſſe Theodorum cardinalem renunciatum a Paulo ſecundo Pontifice. Flandriæ annales priorem eius maritum Ferrariæ marchionem fuiſſe tradunt. puto Montiſferrati voluiſſe dicere. Margareta hæc Petro filias duas peperit, Mariam, & Franciſcam: Mariæ viri fuere duo Iacobus Rhomontij comes eius auunculus. Inde Carolus Borbonius Vindocini comes, cui filios tres, filiam peperit vnicam, Carolum Vindocini comitem, Franciſcum ſani Pauli comitem, & Ludouicum epiſcopum & ducem Laonenſem,*

tum illũ quem Chambreium dictum, in qua ad Mariam Annæ huius filiam annotata, demonſtrauimus. Cæterum Agnetu, quam ex Anna huius filiabus Franciſco Aurelianenſi nuptam diximus, epitaphium in diuæ Geneueſæ Pariſienſis æde videre hoc eſt. Exiguo clauduntur hoc ſaxo inteſtina nobilis diuæ Agnetis de Sabaudia, vxoris quondam illuſtriſsimi Franciſci comitis Dugnenſis: Molem autẽ carnis exuit ſextadecima Martij, anno incarnati verbi milleſimo quingenteſimo octauo.

ſem. Franciſcam Engieni ducem Philippus Cliuenſis Raueſteim regulus vxorem duxit.

BONA: *cui vir Galeacius Mediolani dux. Cum Bona hac (inquit Arnoldus Ferronius) Ciccus Calaber vir natura peracutus, & prudens, expulſo Ludouico Sfortia, moderabatur Galeacij filij nomine res Mediolanenſiũ. At leui cum eſſet ingenio, per Antonium Teleſinum Ferrarienſem, adoleſcentem venuſtiſsimum, qui ad eius amicitiam arrepſerat, totamque eam poſsidebat, eique obſequentior illa erat, quam caſtam mulierem deceret, reuocauit Sfortiam, nequicquam diſſuadente Cicco. Eo reuocato, Ciccoque ab eo necato, cum in amore, & delitiis illa aliquantulum Teleſini verſata fuiſſet, tandem & tutela filij, & omnium rerum adminiſtratione priuata fuit, omnia ad ſe Ludouico Sfortia reuocante, donec ſublatis nepotibus, Mediolanenſi imperio potitus eſt.*

MARIA *vxor Ludouici comitis ſani Pauli Franciæ comeſtabilis, patris eius cui Margareta Maria ſoror nupſit, & deinde (vt Paradinus ſcribit) Amadei comitis Chambrai, a quo comites Chambrei orti. Sed errat grauiter Paradinus. Maria enim viuo Ludouico viro ſuo (qui eo ipſo tempore quo ſecuri percuſſus fuit, mortem eius luxit) obiit.*

AGNES *Franciſci Aurelianenſis Dunoyſii, & Longeuillæ comitis, Franciæque Marſchalli, vxor: cui peperit Franciſcum, Ludouicum, & Ioannem.*

IOANNA.

DE AMADEO SABAVDIAE DVCE TERTIO.

NONVS ex hac familia eo nomine Amadeus Sabaudiæ dux tertius, vir nõ ſui ſæculi, ſed omnis æui ſanctiſſimus, optimus, ſimpliciſſimus, & ſimulationum neſcius, nulloque virtutum genere Ludouico patre (cui ſalutis anno MCCCCLXVI. ſuccedit) auoque MCCCC. LXVI.
inferior. at ægro ſemper corpore, & morbo epileptico comitia-

comitialive vt plurimum obnoxio, par negotiis neque ſupra erat. Cum bello itaque potiora omnia duceret, ſubditis vt de eo deſerendo, alioque ſibi præficiendo cogitarent, & conſilia ſubinde inter ſe conferrent, occaſio præbita. Sed conſtitutis tandem rebus, cum ſorore ſua Bona (quæ Mediolano Sfortianorum tyrannide pulſa, ad eum confugerat) ad Galliarum anni proxime inſequentis menſe Auguſto profectus regem, humaniſſime ab eo acceptus exceptuſque fuit. Quin vt quam eius ſibi gratus eſſet aduentus, publice palamque teſtaretur, ſolis regibus quando inaugurantur reſeruata munia, obiri ab eo rex voluit. Quæ res ſubditos eius (admonitos, obſequium in principem ſuum, reuerentiam in nomen Gallicum, decus quiſque ſuum & fidem retineret) in officio continuit, & vt nihil aduerſus eum, tanti principis patrocinio tutum, moliri auderent, fecit. In egenos pauperesque cum ſupra modum, & ad prodigalitatem vſque, auri argentique negligens, eſſet effuſus (adeo vt permagnum quotidie huiuſmodi hominum numerum in aula ſua aleret) ea de re a proceribus iiſque quorum conſilio vtebatur, admonitus aliquoties, nullam arcem, nulla propugnacula, nulla mœnia æque ditiones ſuas conſeruare reſpondit, atque hominum egenorum (qui ipſi Deo curæ) ſingularem hanc curam. In ea vna prouinciarum ſuarum omnium vires roburque, quod nulla queant expugnare caſtra, nulla euertere tormenta, conſiſtere. Eos ille homines commilitones ſuos appellare, eos accurate liberaliterque habere, iis cibum potumque & detractas ſubinde corpori ſuo veſtes, de ſua præbere manu, eorum conuictu ac familiaritate gaudere, & propter

pter nonnunquam diſcumbere. Verſis illuc omnium mentibus, cum a legato forte quodam extero, nullos num canes haberet venaticos interrogaretur, ingentem ſe poſtridie illi huiuſmodi canum numerum oſtenſurum reſpondit. Reuerſum autem ad horam condictam hominem, cum canes nulli apparerent, in proximum abducit triclinium, vnde in ſubiectam aulæ planiciem deſpectus erat: ibi menſam illi admirabundo oblongam inſtratam, & ciborum omnis generis refertiſſimam, accumbenteſque ad eam mendicos pauperesſque quam plurimos oſtendit, atque hiſce hominem affatur verbis: Iſti, vir amice, canes ſunt, quibus in vita hac, cuius breuis incertaque periodus eſt, cælum ego venor alimentaque expedio, quæ manna omni præſtantiora, famem mihi in perpetuum ſiſtant. Ad quæ dicente inter alia legato, Inueniri ſæpius homines improbos inerteſque, qui paupertatem ſimulent, & mendicando, quam manibus ea quæ ad cultum victumque ſuppeditent, parando viuere malint: Nolim tam anxie iſta ego inquirere, reſpondet ad ea dux. Si in actiones enim noſtras pari curioſitate diuinum illud inquirere vellet numen, & quotieſcunque a recto deflectimus, dignas de nobis ſumere pœnas, neque pro odio gratiam redderet, non (hercule) beneficiorum, quæ tam larga liberalique in nos ille confert manu, tantus eſſet cumulus. Alia præter hæc cumplurima in pauperum patrocinium allegante duce, & variis ea ex Scriptura ſacra depromptis confirmante exemplis; cum eius orationem interpellans legatus, ad paupertatem plures quam ad diuitias eſſe aſpiraturos, ſi omnibus ea mens eſſet prin-

cipibus, reſponderet; Ad ſapientiam etiam plures haud dubie, ſubinſert protinus dux, aſpirarent. Diuitiarum quippe opumque quemadmodum ſuperbia, faſtus, luxus, inſolentia, temeritas, ſtultitia, iniuriarũ illatio, iniquitas, rapinæ, ſcelerum denique omnium impunitas comites plerunque eſſe ſolent: ita e contra ſapientiam, ſobrietatem, æquitatem, iuſtitiam, ſimplicitatem, rerum præclararum meditationem, modeſtiam denique, innocentiamque, & virtutes cæteras omnes, in paupertatis comitatu inuenire eſt. Hæc de paupertate præclara Amadei ducis fuit opinio. Morbum, moleſtiſſimum licet continuumque, tulit patientiſſime; adeo vt qui conſolandi confirmandique eius cauſſa ad eum quotidie ventitabant proceres, eos ipſemet conſolaretur, & multis præclariſque rationibus ad patientiam hortaretur. Deum nunquam nobis viciniorem eſſe demonſtrans, quam cum maxime variis corpus hoc exercet cruciatibus: nullaque remedia, quæ animæ vulneribus curandis adhibentur, tam facere dolorem, quam quæ maxime ſunt ſalutaria. Diu eo morbo excruciatus, Aureliæ ex

MCCCC-LXXI. al. LXX-IIII. alui tandem profluuio, ſub Iunij menſis exitum ſæculi eius anno ſeptuageſimo primo, viuendi finem fecit, cæleſtemque animam cælo reddidit, Philiberto filio ſucceſſore relicto. Dignus (hercule) princeps cuius pia præclaraque facta atque famam nominis, cum laude & bonis recordationibus poſteri proſequantur. Sunt qui miraculis ſepulchrum eius claruiſſe ſcribant. Author Platina eſt, cum Paulo pontifice Romano Italiæ vniuerſæ pacem procurante, dubitarent multi num Amadeus hic eiuſque frater Philippus, Breſſæ tum comes, qui eo anno

anno Venetorum ſtipendiis militauerat, extra pacis illius leges eſſent habendi; Galeacium Mediolani ducem, petentibus Venetis, vt inter fœderatos Philippus quoque cenſeretur, negaſſe id fieri poſſe, dixiſſe enim (verba ſunt Platinæ) nunquam ſe pro amico, & ſocio habiturum, quem rex Francorum hoſtem haberet. Verum tantum (inquit) valuit Paulus blanditiis, & pollicitationibus, vt legatum Galeacij contra principis ſui decretum, in ſententiam ſuam traheret. Ob quam rem iratus Galeacius, & Laurentium Piſaurenſem legatum ſuum exilio mulctauit, & Sabaudienſes ita bello vexauit, vt pacem expoſcere cogeret, quæ quidem ex arbitrio regis Franciæ, ad reginæ, & vxoris Galeatij (quæ Sabaudi ducis erãt ſorores) preces compoſita paulo poſt fuit. Miror vnde Franciæ regem, Amadeum Philippumve hoſtem habuiſſe dicat Platina, cum neminem legerim hactenus qui diſſidij huius meminerit.



IOLANDA Franca (Iſabella male appellata aliis) Caroli eo nomine ſeptimi, & Ludouici vndecimi Galliæ regum, illius filia, huius ſoror. Statutis Sabaudicis anno MCCCCLXXV, tertia menſis Iulij in monte Calerio publicatis, hic præponitur titulus: Iolans primogenita, & ſoror Chriſtianiſſimorum Franciæ regum, ducißa, tutrix & tutorio nomine Illuſtriſſimi & ſuperexcelſi principis filij noſtri chariſſimi Philiberti ducis Sabaudiæ, Chablaſii &c. Author eſt Nicolaus Vignierius, Heluetios confœderatos, quod Burgundionis conatibus Iolans hæc (quam Iſabellam non recte appellat) fauere videretur, omnia fere oppida in tractu Auentico ſita, & lacui Lemano adiacentia, eripuiſſe.

PHILIBERTVS. } duces.
CAROLVS.

IOANNES Geneuæ comes, cui vxor Helena Luxenburgenſis, Ludouici Luxenburgenſis, illius qui capite plexus fuit, ex priore vxore Bona Berria filia.

CLAVDIVS } Hos addunt
GALEACIVS. } nonnulli.

IACOBVS. LVDOVICVS, marchio Gienſis. Huius non meminit Paradinus.

MARIA, cui vir Philippus Hocquebergius, Rhetelini marchio, Neufchaſtelli comes, & Burgundiæ mareſchallus, & filia ex eo Ioanna Ludouico Aurelianenſi nupta.

LVDOVICA, vxor Hugonis Challonij domini Caſtelli Guyonij, fratris Guilelmi Chalonij Auraniij principis.

ANNA, cui vir Fredericus rex Neapolitanus, vt plerique autumant.

DE PHILIBERTO SABAVDIAE DVCE QVARTO.

PHILIBERTVS eius nominis primus Sabaudiæ dux quartus Amadeo duci tertio patri infans adhuc, ætatis anno quarto, Domini vero MCCCCLXXI. ſuccedit, ſub Iolandæ matris, mulieris longe prudentiſſimæ (quæ Ludouici vndecimi Galliarum regis ſoror erat, quæque diligentem admodum decennio fere toto, Geneuæ præſulis defuncti, mariti ſui fratris, vſa cõſilio, MCCCCLXXI.

pueri

pueri curam geſſit) exiſtens tutelæ: ad quam ipſam hinc Galliarum rex Ludouicus Iolandæ frater, illinc Carolus Burgundiæ dux, ducum ſui ſæculi longe potentiſſimus factioſiſſimuſque, & Sabaudicæ genti per varias affinitates innexus, contrariis prorſus inter ſe animis principes, modis omnibus, aſpirabant, attraxerantque in partes ſuas; ille Philippum Sabaudum Breſſæ, hic Iacobum Sabaudum (ſui poſtea fundi calamitatem) Rhomontij comites, & infantis ipſius patruos: diſſimulante interim prudenter admodum ipſa Iolanda, & patibus eorum viribus patiq; potentiæ, parem prorſus voluntatem tribuente. donec tandem, Caroli rebus verſis (felicem earum hactenus ſucceſſum, ſiue ipſius perturbatione, ſiue errore aliquo, ſiue fortuna interpellante) amiſſo ad Granſſonium prælio (quo ſupra trigeſies centena coronatorum millia illi deperiere) Carolum (in quem alioqui, cum Ioanne Ludouico Geneuenſi præſule, magis at clam, propendere viſa fuit) auerſari & vna cum Renato Siciliæ rege Galeacioque Mediolanenſi duce, proceribuſque aliis quamplurimis Burgundo hactenus confæderatis, mutato cum fortuna animo, Ludouici regis fratris ſui partes ſequi cœpit. Quod cum Burgundus, ſecundo jam ad Moratum ſeu Murtium, altero & viceſimo a Granſſonienſi pugna die, fractus prælio, haud difficulter animaduerteret, ſimulque quantum rebus viribuſque ſuis (vehementer iam duobus illis aduerſis præliis imminutis) ſi Sabauda ſe liberoſque in fratris ſui daret clientelam, eſſet deceſſurum, comprehenſam ex Geneuenſis præſulis Rhomontiique comitis fratrum conſilio Iolandam, cuſtodiiſque aſſeruatam, in

Burgundiam cum miniſterio ſuo omni abduci, & in arce Rouuereſia imperat aſſeruari. Verum Philibertum ducem cum ſuæ quoque vna cum matre poteſtatis factum crederet, falſum ſe inſigni cuſtodum pueri fide intellexit, qui ſtatim vt quid Burgundus moliretur ſenſere, ſublatum ex Burgundorum conſpectu puerum, Camerinum (vbi ſine periculo vllo illi eſſe licebat) transferunt. Eo autem Camerini exiſtente, accurrit eodem protinus Geneuæ præſul, homo inconſtans, & cui præter epiſcopalem grauitatem peſſima & immodica erat cupiditas. Cuius indolem cum perſpectam haberet Ludouicus rex, animum eius per quendam ex ſodalitij Rhodij præfectis (Commendatorem appellant) cui plurimum deferre ſolitus ille erat, expugnat. Eo inliciente, Burgundum, turpe in ſeruitium mutatus, deſerit, Philibertumque puerum, eiuſque fraterculũ Carolum (quem Protonotarium appellatum, vna cum matre in Burgundiam abductum, Paulus Æmylius author eſt) & ſimul Camerinum, & Montmelianum arces regi in poteſtatem tradit, locumque in quo Sabaudæ theſaurus mundusque muliebris omnis aſſeruabatur capit, ſibique retinet. Grauiter admodum eam tulit iniuriam Burgundus, præſertim quod eo bello quod in Rhomontij comitis (cui Geneuenſis frater erat) ſuſcepiſſet gratiam, tantas accepiſſet clades. Quo ipſo bello infami tandem Nicolai Campobachij hominis longe ſceleſtiſſimi proditione (vt ferme intuta ſunt aduerſa) ad Nanceium cecidit. Potuiſſet (hercule) ſaluus eſſe, ſi quanta illi nobilitas, & fortuna fuit, tanta rerum proſperarum moderatio fuiſſet, & iis qui eius ſacramentum cunctis

circa hoſtilibus, non exuerant, quique eius illum proditionis admonuerant (quod & Ludouicus etiam vndecimus Galliæ fecerat rex) fidem habuiſſet. Sed præualuerant iam fata conſiliis, omnemque animi eius aciem præſtrinxerant. Negabat itaque ſe credere, ſpemque in ſe beneuolentiæ ex merito æſtimare profitebatur. Quippe ita ſe res habet (inquit eleganter quidam) vt plerunque qui fortunam mutaturus eſt Deus, conſilia corrumpat, efficiatque, quod miſerrimum eſt, vt, quod accidit, id etiam merito accidiſſe videatur, & caſus in culpam trãſeat. In Rouuerea arce captiuæ inſtar detenta Sabauda, quanquam, quantum Ludouico regi fratri ſuo homini omnium vaferrimo, cum quo iamdudum nonnihil illi diſſidij interceſſerat, tribuendum fidendumque eſſet, non ignorabat, auida tamen libertatis & videndorum liberorum, metu omni poſito, nobilem quendam Pedemontanum (Riueroto cui nomen) iuuenem circumſpectum cautumque, Lugdunum ad fratrem ſuum clam mittit, oratque obnixiſſime, ſui liberandi rationem aliquam inire ne grauetur. Ad ea rex, quanquam cum ſorore ſua Iolanda non prorſus ſibi conueniret, non propterea tamen eius ſe cauſſam neglecturum reſpondet, ſed miſſurum propediem qui in Galliam eam adducat, Carolum Amboiſium Chaulmontij regulum, & Campaniæ præfectum, ſummæ nobilitatis virum. Facit quod promiſerat rex, miſſuſque cum nonnullo milite Amboiſius, facto ſine maleficio vllo per Burgundi ditiones itinere, abductam ex Rouuereſia arce (quod illi factu facile, quod negligentius illa cuſtodiebatur) cum ancillarum miniſtrorumque comitatu

omni

omni Sabaudam, in proximum Galli regis imperio parentem transfert locum. Turones iam Lugduno ſororem ibi ſuam opperiturus Ludouicus rex venerat: vbi poſtquam hoſpitia publica illi decreuiſſet, & nobiliſſimum quenque honoris cauſſa, in eius vrbi iam appropinquantis miſiſſet occurſum, ipſemet tandem ad vrbis portas progreſſus aduenientem humaniſſime cum omni comitatu excipit, Salue, inquiens, Burgundiæ domina. Quod cum iocoſe ab eo ſibi obiici facile ex eius illa vultu animaduerteret, Imo Franca prorſus, domine, & iuſſis tuis obſequi paratiſſima famula, reſpondet. Abductam inde in hoſpitium, honorificentiſſime liberaliſſimeque tractari rex iuſſit. Cæterum in ingeniis haud diuerſis, haud quoque diuerſa erant deſideria. Ille diuturniorem mulieris conſuetudinem auerſabatur, hæc vt quam citiſſime in Sabaudiam fratris impotenti dominatu liberata, cum liberis ſuis remeare poſſet, vehementer cupiebat. Moribus enim inter ſe (inquieti vterque animi) optime quoniam congruebant, alterius alter indolem ex ſua metiri, actioneſque omnes habere ſemper ſuſpectas, & raros idcirco quærere congreſſus, fieri inter eos vti ſolet, qui amorem ſimulantes affectu nullo ducuntur. Rex itaque vt quæ ſorori eiuſque pediſſequis munera dare conſtituerat, quam citiſſime appararentur, vtque quæ faciẽdis in domuitione eius ſumptibus ſufficeret pecunia, in numerato eſſet, diligenter prouidit. Quod autem inter ſe iniere tum fœdus, in tabulas publicas in poſterorum gratiam referri rex voluit. Petierat quidem inter cætera ab ea rex, vt quæ inter filias eius, & Caſtelli Guyonij regulum Rothelinique marchionem conuene-

conuenerant matrimonia, ea (quoniam Burgundo vterque fauere) haud procedere pateretur. Verum in ſua id poteſtate conſtitutum illa negante, quod filias ſuas animum ea in re obſtinaſſe diceret, moleſtus illi amplius rex haud fuit. Sed octiduo apud ſe retentam, lætamque receptis liberis, lætus ipſe cum lectiſſimo comitatu, poſt firmatam iureiurando vtrimque amicitiam, dimittit. Manſit fraternus ab eo tempore inter eos amor, maxime cum petenti, vt Philibertum filium ſuum, a nobili quodam ex Delphinatu viro (quem Luiſij appellabant dynaſtam) inſtitui, & in Gallicos formari mores pateretur, quo Gallico a puero imbutus idiomate moribuſque, neceſſitudine quoque amicitiaque Gallico paulatim nomini illigaretur, Sabauda eam rem haud abnuiſſet. Quanquam ne ſic quidem regio, in ſuſpiciones plus æquo ſemper prono, ſatisfactum animo. Cum enim nobilium aliquot Sabaudorum conatus eo tendere certo ſibi perſuaſiſſet, vt pulſo Luiſio, adoleſcentis in ſe curam transferrent, vt eo ſe metu liberaret, ſuæ adoleſcentem poteſtatis facere conſtituit. Qua in re Breſſæ, Chambrei & Myolanſi comitum (quibus plurimum ſemper tribuerat) vſus opera conſilioque, Gratianopolim Taurino Philibertus, Argentonio regulo (quem per ſpeciem inferendi comitibus antedictis belli, quaſi hi Luiſium iuuentæ pueri moderatorem comprehendere in animo habuiſſent, in eas oras Ludouicus miſerat) procurante abductus fuit. Inde cum Blancam Mariam Mediolanenſem, Galeacij Vicecomitis, & Mediolani ducis filiam puer adhuc, ætate ſibi parem puellam vxorem duxiſſet, generi in ſe curam Galeacius ſuſcipit, & in

ducatus, propter pueri ætatem, adminiſtratione, in principum quorundam potentiſſimorum eam ad ſe praua æmulatione certatim trahentium magna licet contentione, aliquanto tempore fuit. Summa cum laude gloriaque eo munere Mediolanenſis functus eſt, detectaque ſingulari ſua cura (cum eius vnius tum vigiliis niteretur, ne quod reſpublica Sabaudica detrimentum caperet) quam aduerſus puerum Ioannes Ludouicus epiſcopus Geneuenſis, eius patruus (qui turbidus miſcendis ſeditionibus, per ſummam perfidiam fraudemque ducatum inuadere, & puerum capere conſtituerat) moliebatur, cõiuratione, & oppreſſo captoque Vercellis præſule (haud perinde inſtruendo bello intento, quam frequente ciendis tumultibus) Taurinumque in cuſtodiam abducto, imminentem puero perniciem prudenter auertit. Verum aduerſus infidi patrui fraudes, [illegible] diligentia (a quo multa comitate in ſpeciem liberum cultus fuit) tutus infelix adoleſcens, vixdum exacto ab ea coniuratione anno, dum Carolum Galliæ eo nomine octauum regem amitæ ſuæ filium Lugduni inuiſit, improuiſa morte ſæculi eius anno octuageſimo primo

MCCCC-LXXXI.

al. XVII. poſtquam vitæ annos decem & quatuor, potentiæ decem expleuiſſet, non diu admodum cum morbo conflictatus, non ſine præbiti ab iis, qui captiui præſulis cauſſæ patrocinabantur, veneni ſuſpicione, indiciiſque manifeſtis, ſublatus fuit, cum ſummo finitimorum principum omnium ſubditorumque ſuorum (quod ſumma in eo morum dulcedo ac ſuauitas, & aduerſus amicos æqua, & par ſui in ea ætate æſtimatio inimitabilis eſſet) luctu. Sed optima quæque rapere ſolita mors, oſtenſum

oſtenſum tantum terris iuuenem optimum, vltra eſſe paſſa non eſt. Mortem eius dirus, qui ſub illos ipſos dies apparuit, prænuntiare viſus eſt cometes, quem periti cæleſtium, regis principiſve mutationem plerumque portendere exiſtimant. Illi ſuccedit improli Carolus frater.



BLANCAMARIA *Mediolanenſis, Galeacij vicecomitis Mediolani ducis filia. Quæ mortuo Philiberto, tribus expetita regibus, Ioanni nimirum, Matthiæ Hungariæ regis filio, Iacobo Stuarto Scotiæ, & Vladiſlao Bohemiæ regibus, Maximiliano Auſtriaco imperatori, Caroli quinti imperatoris auo, nupta fuit.*

DE CAROLO SABAVDIAE DVCE EO NOMINE PRIMO.

CAROLVS eo nomine primus, Sabaudiæ dux quintus, Philiberti ducis (cui anno poſt natum Dominum MCCCCLXXXI ſucceſſit) frater protonotarius Sabaudicus appellatus hactenus, omnibus belli ac togæ dotibus eminentiſſimus ſui ſæculi princeps, tantis animi corporiſque præditus fuit donis, virtutis ea indole, ea in Deum pietate, eo corporis robore, vt inter reliquos qui eum anteceſſere Sabaudiæ duces, optimos licet illos, vnus velut inter ignes luna minores, emineret: ſed fato malo (quod optimos inter nos diutius durare haud ſinit) in ipſo ætatis fortunæque flore, cum annos non- MCCCCLXXXI.

dum totos ſeptem ducatui præfuiſſet, victoriis aliquot MCCCC-LXXXVIII. al. LXXXIX. iam clarus, ſæculi eius anno octuageſimo octauo rebus humanis ereptus, quam de ſe apud omnis ordinis homines princeps optimus concitarat exſpectationem, explere non potuit. Veneni a Ludouico marchione Saluſſiano clam procurati ſuſpicio erat, incerta tamen. Hunc enim, optimum alioqui principem, & in quo morum ſuauitas erat admiranda, multus lepos, graui perſecutus bello, quod quam Sabaudiæ principibus eius maiores ditionum ſuarum intuitu, detuliſſent ſemper clientelam obſequiumque, illi denegaſſet, victum tādem & bonis fortuniſque omnibus (quas mortuo Carolo duce, poſtquam triennio integro iis caruiſſet, Mediolani ducis, quem ipſum vna cum Carolo aduerſarium quoque habuerat, beneficio recepit) tanquam læſæ maieſtatis reum exuerat, & eo redegerat miſeriarum, vt nemo eſſet mortalium quem eius non misereret. Cæterum quia cum duobus longe potentiſſimis principibus illi res erat, non fuit mortalium quiſquam qui inopem, & incertis vagantem ſedibus aut tecto recipere, aut auxilio ſubleuare auderet. Dolebant vehementer viri boni omnes, optimos, & moribus inter ſe congruentiſſimos principes, tam infeſtis inter ſe animis, quaſi in mutuam coniuraſſent perniciem, bellum gerere. Credibile eſt, grauius exarſiſſe Sabaudum quod a Saluſſiano, ætatem ſuam, quaſi tanto imparem oneri, ſperni ſibi perſuaſiſſet. Qua ipſa tamen ditionum ſuarum fines protulit, & Gabienſes (Vagenos Silius appellat) alpes Ligurinas incolentem populum ferocem admodum ſuperbumque vicit, domuit, & ſibi parere coëgit.

BLAN-



BLANCA MARIA, *Montiſferratenſis, Guilelmi Mōtiſferrati marchionis eius nominis quinti, & Eliſabetha Mediolanenſis (cui* { CAROLVS *dux eo nomine ſecundus.* LVDOVICA. IOLANDA. } *barū pauci meminere.*

Franciſcus Sfortia dux pater) filia: matrona præclariſsima, quæ non fœminas ſolum ætatis ſuæ omnes forma (quam pudor honeſtabat) venuſtate, morum elegantia, ſermonis lepore, & ingenij denique acumine longo poſt ſe interuallo reliquit: ſed viros quantumuis exercitatiſsimos, in republica prudenter procuranda, finitimorum principum amicitiis ſibi conciliandis, pace cum iis pro ſubditorum ſuorum commodo ſaluteque conſtituenda firmandaque, iuſtitia non diſsimulanter adminiſtranda, belli denique paciſque artibus omnibus, obſtupeſcente mundo vniuerſo, ſuperauit; adeo vt dotes arteſque ſuas omnes in ea vna efformanda (vt matronis cæteris omnibus virtutum quod imitarentur proponeret exemplar) contuliſſe, & pleno quaſi cornu effudiſſe natura videretur. Maritum ætatis anno viceſimo tertio nondum completo amiſiſſet licet, ea tamen in illa ætate Sabaudiam filij ſui (cuius nondum ſatis adoleuerat ætas) nomine adminiſtrauit prudentia, temperantia, & moderatione, vt omnibus eſſet admirationi. Cæterum ad Neapolitanum profecturo bellum Galliarum regi Carolo eo nomine octauo Blanca hæc, ad Taurinos ille cum veniſſet, quicquid aurea argenteaque ſupellectilis, vnionum, gemmarum, annulorum, armillarum denique in muliebri habebat mundo, vtendum dedit. Quo theſauro apud mercatorem quendam protinus oppignerato, duodecim mille numum aureorum mutuum confecit. Tantundem quoque & Montiſferrati marchionis vidua contulit: ſed in Galliam ab ea expeditione reuerſus omnem eam pecuniam vtrique bona fide cum vſuris Carolus rex reſtituit. Franciſcus Roſierus Carolum hunc priorem habuiſſe vxorem ſcribit Ludouici marchionis Saluſtiani filiam, eamque grauiſsimi inter patrem maritumque belli cauſſam fuiſſe: ſed mihi id haud ſit veriſimile, præſertim cum aliam longe belli illius originem fuiſſe conſtet.

DE CAROLO EIVS NOMINIS SECVNDO SABAVDIAE DVCE.

CAROLO primo Carolus eius nominis ſecundus filius (quem Ioannem Emanuelem nonnulli,

alij Ioannem Carolum appellant) anno ſalutis humanæ octuageſimo octauo ſupra milleſimum, & quadringenteſimum ſuccedit, infans adhuc, & ætatis anno primo nondum completo. In ducatus procuratione propter eius ætatem manente matre eius Blanca fœmina longe vigilantiſſima. Quæ Philippi Sabaudi Breſſæ comitis principis ſapientiſſimi, Delphinatuſque Caroli regis (apud quẽ æquabili auctoritate, & gratia viguit) iuſſu præfecti, conſilio vſa ſemper, & authoritate tuta, optume ea adminiſtratione ſubditorum nemini grauis moleſtaue functa fuit, & eorum qui libidine atque auaritia, & mutandi dominatus amore impulſi, infantis ſpreta ætate, nouis moliendis rebus animos habebant intentos (quibus vt formidabilem, ita bonis ſe præbebat facilem affabilemque) conſilia facile diſcuſſit eluſitque, præſertim cum diligenter admodum ratione, conſilio, præceptis pueritiam eius foueret, prouideretque vt ad pietatem ante omnia ab infantia exerceretur, vtque hominibus vitioſis, & voluptatum adminiſtris (qui principum, quorum tenera adhuc ætas, deprauandis animis, vitiorum ſcelerumque impunitate propoſita, operam omnem, cum non leui reipublicæ damno impendere ſolent) nullus ad eum, donec iuuentæ lubricũ exiret, pateret acceſſus. Proficiſcentem ſub hæc tempora ſæculi illius anno MCCCCXCIIII, in Apuliam Carolum eius nominis Galliæ regem octauum, Neapolitani nimirum regni oppugnandi cauſſa, & per Sabaudiæ fines iter facientem regio prorſus Blanca apparatu, purpura auroque, & vnionibus ipſa inſignis excepit atque proſecuta eſt, equóque (cui Sabaudo inditum nomen) generoſiſ-

MCCCC. LXXXVIII.

MCCCC. XCIIII.

neroſiſſimo, quo Neapolitano illo vſus bello, variis grauibuſque periculis ereptus ille fuit, donauit. Quin auro argentoque (qui belli neruus) deſtituto regi (cunctis admirantibus mortalibus quod rebus omnibus imparatus tam longinquam atque difficilem expeditionem bellumque non neceſſarium, cuius non infelix tamen



fuit ſucceſſus, ſuſcipere fuiſſet auſus) quicquid in ornamentis eſſet, contulit, grauiter ſibi dolere queſta quod maiore eum ſubſidio iuuare haud poſſet. Deceſſit admodum iuuenis Carolus dux, fortunæ, in quam alebatur capax, & in omnium virtutum exemplo genitus, ducatus (cuius habenas eo mortuo Philippus Breſſæ comes ſuſcepit) anno ſeptimo, Domini vero MCCCCXCV.

DE PHILIPPO EO NOMINE SECVNDO.

PHILIPPVS eius nominis ſecundus Sabaudiæ dux ſeptimus, ſine terra antea dictus, quod ex paterna hæreditate pars minima, Breſſanus nimirum comitatus, ad eum tanquam natu minimum, perueniſſet, Ludouici & Amadei octaui ducum, illius filius, huius nepos, gentile anno MCCCCXCV. Carolo ſecundo duce fatis MCCCC. XCV.
ſublato, ætate prope confecta, imperium accipit, vir grauis, & ſapiens, & demerendis hominibus genitus. Cui quod

quod prælio ſtrenuus, & conſilio bonus eſſet, feliciter plerunque, quæcunque moliretur, ſuccedere ſolebant. Sed eius quoniam amplior a nobis alibi facta mentio, breuiores hic erimus. Pro Carolo Burgundiæ duce aliquamdiu cum ſtetiſſet, Galliæ tandem regis, a quo maximis affectus beneficiis, diui Michaelis equitum ſodalitio aſſcriptus, & magnus tandem ſupremuſque Franciæ factus fuit magiſter (qui comes Palatinus olim, deinde Franciæ Seneſchallus dictus fuit magiſtratus) partes, inter abruptam contumaciam, & deforme obſequium, cōſtanter ſequutus eſt. Supremum ſæculi eius
MCCCCXCVII. anno XCVII. Camerini obiit diem, poſtquam annum, & menſes ſex ducatui præfuiſſet, & Philibertum filium reliquit ſucceſſorem. Nonnulli veneno ſublatum autumant. Componendis regum principumque, Italorum præſertim, diſſidiis plurimam ſemper princeps optimus, & perſuadendi callidus, operam nauaſſe, neque periculum ſumptuſve vllos in prouectiore etiam ætate, eius rei promouendæ cauſſa defugiſſe ſcribitur, præſertim cum plerique eum iudicem poſcerent. Summa apud Ludouicum eius nominis vndecimum, at maior (vti diximus) apud Carolum octauum Galliæ reges eius fuit authoritas. Neapolitanum enim geſturus bellum Carolus, Genuam eum Breſſæ adhuc tum comitem cum exercitu miſit, vt ne quis per abſentiæ ſuæ occaſionem a Genuenſibus motus exoriretur, prouideret, vtque nouarum rerum auidum ſemper populum illum in officio contineret. Pulſo, dum in eo itinere Carolus rex eſt, Florentia per ſeditionem Laurentio Medice ciuitatis familiæque ſuæ (qua vix vlla per Europam tum opulentior florentior-

florentiorque) facile principe, reditum illi ad ſuos & ad priſtinum magiſtratum a Carolo rege impetrauit; ſed vt quam perdiderat pretioſiſſimam, & regia haud inferiorem ſupellectilem (quam tumultus haud dubie originem, auaritia ſæuitiæ cauſſam præbente, ſeditionis authores inuolarant) reciperet, id equidem in eius haud fuit poteſtate. Videbat (mehercule) vir longe optimus, qua animi erat ſagacitate, hominum quorundam (quorum magna apud reges principeſque eſt authoritas) aut inſcitia ignorantiave, aut ſupina nimis oſcitantia, maximas non ſolum interdum rei bene gerendæ deperire occaſiones, ſed graues clades calamitateſque prouinciis optime alioqui conſtitutis importari, quæ, ſi quod poſſunt debentque, illi vellent præſtare, facili negotio cum ſummo reipublicæ fructu commodoque auerti, populuſque in officio contineri poſſet. Quod ipſum verum demum eorum qui in principum verſantur aulis munus eſt.

} RENATVS, *nothus*.



MARGARETA *Borbonia, Caroli Borbonij ducis, & Agnetis Burgundæ filia tertia, quam Mariam nonnulli appellant. Nupta Philippo ſaluatis anno* MCCCCLXXI, *moritur ſeculi eius anno* LXXXIII. *Labitur Luſignanus, qui Philippo filiam tertiam fuiſſe ſcribit Magdalenam Nauarra reginam.*

PHILIBERTVS *dux*.

LVDOVICA, *vxor Caroli Valeſii comitis Engoliſmorum, cui Franciſcum Galliæ peperit regem.*

PHILIBERTA, *cui vir Iulianus Medices, Leonis decimi Pontificis frater. Paradinus Nemourſiam eam appellat ducem, quod ducatus hic a Iuliano, Galli regis beneficio poſſeſſus, eo mortuo penes vxorem eius, rege permittente, manſiſſet, qua defuncta Philippus eius frater eo donatus fuit.*



*al. Claudia.

Clavdia Broſſeſia, Ioannis Broſſeſii, S. Seueri, & Buſaci reguli, vicecomitis Bridierſii Franciæque Marſchalli, & Nicolaæ Britannæ (cui Carolus Britannus, & Iſabella Vluernea parentes) filia.

- Carolvs, *dux poſt Phi[illegible] tum fratrem.*
- Philippvs, *Nemourſii Ga[illegible] regis beneficio dux, & Geneua [illegible]mes, Neimourſii ducis pater, cui vxor* * *Carola Aurelianen[illegible]s Dunoiſii comitis (cui Franciſcus, & Agnes Sabauda parentes) & Ioanna Hocquerbiæ filia. Errat Belleforeſtus, qui Renati Alençonij ducis filiam et vxorem fuiſſe ait.*
- Philibertvs.
- Ioannes. / Absalon. } *abiere pueri.*

DE PHILIBERTO DVCE EO NOMINE SECVNDO.

Breve Philippi ducis fuit imperium, quod filius eius Philibertus, eius nominis ſecundus, Pulcher a decenti elegantique corporis conſtitutione dictus, anno reſtitutæ ſalutis MCCCCXCVII, excepit. In Ludouici vndecimi Galliarum regis (qui amitam eius Carolam vxorem duxerat) aula vna cum Carolo octauo Ludouici regis filio (quem bello Neapolitano fuit ſequutus) eductus educatuſque, animi ornamentis omnibus non minus quàm corporis excelluit, vſque adeo vt anteceſſorum ſuorum nemini quicquam in vllo virtutum genere concederet, neque princeps eſſet vllus qui ciuitates tam bene haberet moratas conſtitutaſque, ſubditúmque ſibi populum (peccantibus, quatenus exemplo non nocebatur, ignoſcendo, agendoque medium, plurima

MCCCCXCVII.

rima diſſimulantis, aliqua inhibentis, & conſcientiæ magis quam famæ conſulendo) clementius tractaret, nemo, conciliandis parandiſque regum atque principum finitimorum animis aptior. Ludouico Galliarum rege eius nominis duodecimo, bellum in Mediolanenſi gerente ducatu, equites cataphractos optime armatos ducentos in auxilium eius, prima etiamnum floreſcente iuuenta adduxit. Quo præclaro facto, Galli regis animum vehementer ſibi deuinxit. Philippus archidux Auſtriæ ex Hiſpania ea tempeſtate, ſalutis nimirum anno MDIII redux, poſtquam Lugdunum ſe contuliſſet (vbi pax inter Francos Hiſpanoſque, Cæſarem & archiducem ipſum eorumque confœderatos ſocioſque promulgata fuit) in Sebuſianos inde ad Margaretam ſororem ſuam, Philiberti huius vxorem inuiſendam profectus fuit, & ab vtroque honorificentiſſime exceptus dimiſſuſque in Belgium rediit. Deceſſit tandem Pontdeini Philibertus eo ipſo in cubiculo in quo natus fuerat, ſæculi eius anno quarto (qui annus mortalium puniendis peccatis a Deo, vti plerique opinabantur, conſtitutus, plurimis propter aëris intemperiem, & optimo cuique fatalis fuit) ad v. idus Septemb. haud multum vigintiquinque annos egreſſus, imperij anno circiter ſexto. Præreptus immature, & fructu gratiſſimæ coniugis ſocietatis, & conſummatione euectæ in altiſſimum paternumque faſtigium imaginis defectus eſt. Admirandæ eo mortuo in Margareta Auſtriaca eius vxore conſtantiæ patientiæque apparuere exempla. amiſſo enim viro, & iuuene admodum, & quo, vt author Paradinus, neq. ditiorem potentioremque prin-

MDIII.

MDIIII.

cipem Sabaudia (ad acceptas quippe a maioribus prouincias prouẽtum annuum duodecim ducatorum millium, quæ Mediolanenſis pendebat ducatus, adiecerat) neque pulchriorem ſol eo tempore aſpexit, acerbiſſimum eum caſum tulit patientiſſime, iis ſolummodo procurandis intenta rebus, quæ ad animæ eius ſalutem apud Deum promouendam facere poſſe exiſtimabat. Sunt qui Ludouicum eius nominis duodecimum Galliarũ regem, animo ab eo alieniore factum ſuſpicentur, & quidem in Renati Sabaudi fratris eius nothi (qui orto forte inter ipſum, & Philibertum vxoremque eius Margaretam diſſidio, ad Gallum tranſierat) gratiam. Sepelitur in abbatia quadam, quæ Brouſia vulgo dicta, quam Margareta eius vxor poſt eius exceſſum, vt voti religione cariſſimi mariti ſocerique manes liberaret, maximis ſumptibus exſtruxit. Succeſſit defuncto Carolus frater eo nomine tertius, eodem quidem patre cum Philiberto, at non eadem natus matre. Quæ res maximo paulo poſt bello præbuit occaſionem.



MARGARETA *Auſtriaca, Maximiliani eius nominis primi imperatoris, & Mariæ Burgundæ filia. Margareta hæc Auſtriaco genere orta, ac multas inſigneſque familias paterna maternaque nobilitate complexa, Carolo Delphino Viennenſi, Ludouici vndecimi Galliæ regis filio (vt author Nicolaus Egidius) Amboiſii, Domini anno* MCCCCLXXXIII, *pacta fuit. Sed ab eo, rege facto (vt Annam ſcilicet Britanniæ heredem Maximiliano imperatori iam deſponſam, duceret) repudiata (quod Maximilianus Margaretæ pater in eas nuptias, vti aiebat, haud conſenſiſſet, ipſe autem cogente patre Ludouico, cum ea puer etiamnum matrimonium contraxiſſet) Ioannem Hiſpaniarum principem maritum habuit, cui filium*

*lium, at non diu ſuperſtitem, peperit. Quo fatu ſublato, Philiberto huic, ſalutis
anno primo ſupra milleſimum, & quingenteſimum, tertio connubio iuncta fuit.
Mulier in tolerandis aduerſis conſtantia patientiaque admirabilis. Quæ Philiberto
marito ſibi longe cariſſimo non diu potita, quartas, multis petentibus, aſpernata
nuptias, Carolum, & Ferdinandum fratris ſui Philippi filios, ſuæ commiſſos fidei
pueros, ea cura (tanquam vtrumque ipſa enixa foret) inſtituit, & eorum re-
gna ditioneſque, plurimas licet eas, ea adminiſtrauit ſedulitate, vt ipſa omnibus
eſſet admirationi, illi ea felices amitæ inſtitutioneque, ad imperium ambo (quod
ſummum in orbe hoc Chriſtiano faſtigium eſt) peruenire mererentur. Bellorum
diſſidiorumque cauſſas, pace inter Chriſtianos principes procurata, ſuſtulit ſæ-
pius. Belgio pro Carolo quinto fratris ſui filio annis aliquot præfuit, prouinciaſ-
que eas omnes tanta rexit prudentia, ea moderatione, vt nunquam magis floruiſ-
ſe viſa ſint. Abbatiam quam Brouziam vulgus, Brenzeam alij appellant, in ſoce-
ri ſocruſque (qui facturos id ſe vouerant) memoriam Sebuſiano in ſolo, ex pario
ſolidoque marmore, ſumptibus maximis ædificauit, ſodalitijque Auguſtani, ad di-
ui Nicolai Tolentinatis inſtitutum vitam ſuam efformantes monachos, in eo
collocauit. Præclarum (hercule) opus, & inter celeberrima orbis huius monu-
menta conſpiciendum; quod etiamnum, cum ſumma mortalium omnium admi-
ratione viſitur, ob ſtructuræ artē ſingularem partim magnificentiamque, partim
ob feneſtras vitreas, comitum ducumque Sabaudiæ omnium a Beraldo vſque, li-
berorumque, & eorum quoque quibus affinitate iuncti fuere, inſignia omnia de-
centi ordine repræſentantes; vt omittam erectas ipſi Philiberto duabuſque Mar-
garetis, matri nimirum eius, coniugique, ornatiſſimas ſtatuas, & teſſellata aſarota
in ſuperiore ſacræ ædis parte (Chorum appellant) & in ipſius Margaretæ Au-
ſtriacæ ſacello pauimenta, in quibus varia paſſim antiquitatis monumenta, &
ipſius maritique eius effigies in teſſellis quamplurimis, tres ad ſummum in qua-
drum latis digitos, eo artificio ad viuum vna cum vtriuſque titulo ſymboloque,
(Latinis maioribus exaratis literis) expreſſas cernere eſt, vt neminem non in ad-
mirationem ea res rapiat. Imo cum non pauci ſint, quibus pauimentum illud te-
mere calcare religio, vir quidam ex equeſtri ordine (inquit Paradinus) ſacram
illam forte ingreſſus ædem, cum ſputo pauimentum hoc inficere nefas exiſtima-
ret, in aſtantis piſtoris dulciarij, ex cuius putido informique naſo liuentes ranci-
daque vndique efflorescebant magno numero puſtulæ (quas gemmulas a ſimili-
tudine appellant) faciem ſputabat, nullum ſe locum deformiorem, & excipien-
dis excrementis idoneum magis tota ea æde videre dictitans. Somnium quotquot
ad eum veniunt locum videre ſeſe exiſtimant, cum in quam templi partem ocu-
los primum dirigere conueniat dubites, quod vnaquæque res quantulacunque ea
ſit, ſpectatorem detineat, & in ſui rapiat admirationem: adeo vt ipſemet Gallia-
rum rex Franciſcus (regum ſui ſæculi facile princeps, neque ſtupidus huiuſmodi
rerum æſtimator) cum ingreſſus locum, prorſus obſtupeſceret, nullamque ea ſe
ſtructura, magnificentia, ornatuque ædem vnquam vidiſſe palam teſtaretur. Su-*

per omnia locum exornant qui cum incolunt monachi, viri plerique doctiſſimi, quorum vita moreſque quam proxime ad eorum vita accedunt inſtitutum, quos
" *anachoretas olim appellabant, hoc eſt, ſeceſſores. Eo quod (inquit Caſsianus) ne-*
" *quicquam contenti hac victoria, qua inter homines occultas diaboli inſidias calca-*
" *uerunt, aperto certamine ac manifeſto conflictu dæmonibus congredi cupientes,*
" *vaſtos eremi receſſus penetraſſe non timeant. Cæterum de Margareta hac Ioan-*
" *nes Cuſpinianus, in vita Maximiliani Cæſaris in hæc ſcribit verba: Margareta*
" *autem filiæ, eiuſdem Ferdinandi regis Arragonum filium Ioannem dat maritum,*
" *qui intempeſtiua morte ſublatus, nullam poſt ſe prolem reliquit. Sed poſt illius*
" *obitum Philiberto Sabaudiæ duci deſponſata, cum tranquilliſsime ſimul degerent,*
" *breue eorum fuit gaudium, mox ex humanis principe ſublato. Idcirco infortuna-*
" *ta mulier, cum primum ſponſum regem Franciæ Carolum complecti non poſſet, &*
" *a duabus ſequentibus maritis, morte fuiſſet intempeſtiua ſeparata, noluit dein-*
" *ceps alteri nubere, licet potentiſsimi principes hanc peterent, & Vladiſlaus Hun-*
" *garorū rex, priuſquam Annam coniugem duceret, hanc vehementer efflagitaret.*

DE CAROLO DVCE EO NOMINE TERTIO.

CAROLVS eius nominis tertius Sabaudiæ dux nonus, princeps optimus, atque clementiſſimus, meliore in omnia ingenio animoque quam fortuna vſus, Boni meruit nomen, Philibertoque Pulchro fratri, anno quarto ſupra milleſimum, & quingenteſimum, menſe Septembri, ſucceſſit, quo ipſo anno & proxime præcedente, graſſata per Sabaudiam Delphinatumque grauiſſima peſtis, tantam mortalium edidit ſtragem, vt mortuorum humandis corporibus agriſque colendis homines deceſſent. Filius erat Philippi ſecundi ducis ex vxore altera Claudia Broſſeſia. Decennio toto, & amplius, tranquilliſſimus eius fuit principatus, & is Sabaudiæ vniuerſæ ſtatus, vt populus per vniuerſam Europam nullus maiore quiete, otio, libertateque frueretur,
MDXVI. donec anno ſæculi eius decimo ſexto, quem pro recuperan-

recuperando ducatu Mediolanenſi, Franciſcus Angoulemius ex Caroli ſorore (cui in Italiam profecturus regni procurationem ille demandauit) natus, ad Galliæ tum regnum euectus, conſcripſerat militem, eo ipſo aduerſus Heluetios, graues ad Branconium vſque excurſiones facientes, & Delphinatum depopulantes, vti coactus fuit. Gallo enim exercitum in eam expeditionem educenti, & per Sabaudiæ fines iter facienti, cum auxilia Carolus dux ſubminiſtraſſet, Heluetiorum (qui Chinauxium, in Pedemontano ſolo ſitam arcem, oppido ſpoliato, incendere) graue in ſe odium concitauit, præſertim ob negatum per fines ſuos tranſitum commeatumque. Et ne victis quidē ſuperatiſque Heluetiis, Mediolanoque dedito, conceptum aduerſus eum illorum hominum odium conquieuit, qui genti illi eo bello fuerāt confœderati. Qui grauiter admodum ferebant, quæ Gallo in Sabaudia Pedemontioque patuerant ciuitates, earum portas ſibi claudi, Gallumque magno tormentorum bellicorum apparatu commeatuque, & rebus aliis a Sabaudo adiutum. Reuertentem a fœlici illa Mediolanenſi expeditione Franciſcum regem, & pedibus cum omni ſuo comitatu Camerinum vſque, religionis votique exſoluendi cauſſa, iter facientem, cum honorificentiſſime dies aliquot Carolus dux ad ſuas deductum ædes, excepiſſet, habuiſſetque, Lugdunum tandem ille, gratiis quam maximis duci auunculo ſuo actis, rediit. Cæterum non diu admodum is erga Sabaudum in Franciſci regis pectore manſit affectus. Diſſidio enim grauiſſimo inter cos paulo poſt exorto, maximis Carolum ducem cladibus, omnium eorum

oblitus

oblitus, & odium pro gratia reddens, ingenti in Sabaudiam miſſo exercitu (cui Philippus Chabotius, maris Gallici præfectus imperabat) affecit, & potiore ditionum eius parte (Carolo quinto imperatore pro eo pugnante licet) ſpoliauit tandem. Grauiſſimi huius diſſidij has Iulianus Tabotius* adfert cauſſas: Philippus (inquit) Sabaudiæ dux Franciſci regis auus maternus, & Caroli huius pater, vxores habuit duas, Margaretam Borboniam, & Claudiã Pontieuranam: ex hac Carolus, ex illa Philibertus, & poſt eum Ludouica Franciſci regis mater, nati. Philippo mortuo filius eius Philibertus liberorum natu maximus ducatum excipit. Huic, prole nulla relicta, defuncto, ſororem ætate proximam, & cui vterque cum illo communis parens, non Carolum ex altero tantum parente fratrem, & annis longe minorem (qui fœminas, tantæ vtpote moli impares, a Sabaudico ſemper dominatu excluſas, neque populum Sabaudicum fœminæ vnquam imperio ſubditum fuiſſe, contra, variis in eam rem adductis exemplis, contendere) ſuccedere debere affirmabat, Franciſcus rex, non ætatis ſolùm prærogatiuã, ſed quia inter Philippum ipſum, communem eorum omnium parentem, & Margaretæ Borboniæ propinquos, cùm vxorem eam eſſet ducturus, conueniſſet, & quidem (vti aiebat) Sabaudicæ prouinciæ ordinibus in ea pacta conſentientibus, vt quicunque ex eo matrimonio naſcerentur liberi, Philippo patri indiſcriminatim in ducatu, nulla prorſus ſexus habita differentia, ſecundum ætatem ſuccederent. Frequentibus itaque, & quidem per integrum decennium ad Carolum ducem miſſis legatis, debitum matri ſuæ ex legibus [illegible]ndo

*In Gallica ſua Sabaudiæ principum genealogia.

contractus

contractus huius matrimonialis, ſibi porro iure ſucceſſionis ducatum Sabaudicum, ſaltem ea loca quæ in Gallia Lugdunenſi cis Rhodanum extra imperij Romani limites ſita, auiæ ſuæ Margaretæ Borboniæ, ex iure donationis propter nuptias obuenerant, ſibi tradi poſtulat; Breſſam adhæc cum emolumentis prouentibuſque omnibus, annis proximis quadraginta perceptis, & quicquid præterea donationis illius propter nuptias intuitu, auiæ ſuæ antedictæ debitum fuit (quod centum & octuaginta aureorum millibus æſtimari aiebat) cum vſuris omnibus. Pedemontanum quoque tractum, qua Arleſio iunctus principatui, Prouinciæ membrum partemque eſſe, neque ab ea ſeparari poſſe affirmabat. Querebatur inſuper, quod * Taurinum, Pignerolum, Montcalerium, Carignanum, & ciuitates arceſque reliquas trans Padum (interceptas, vti aiebat, ſtantibus belli tumultibus, & Roberto Siciliæ rege, Prouinciæ comite Pedemontanoque principe fato functo) ducatui ſuo adiecisset. Quod comitatus Nicæus, & portus Villefrancæ, eidem Prouinciæ comitatui annexa hactenus inſeparabiliter loca, per ipſorummet ciuium proditionem Sabaudi nunc imperio parerent. Quod arces munitioraque aliquot Saluciani marchionatus, eadem cum Delphinatu cenſeri ſolita loca, per vim a Delphinatu diuulſa, Sabaudiæ ducibus, nulla prorſus iuris ſeruata forma, fuiſſent attributa, & eo quidem tempore, quo Roberti regis filius (cuius bona iure ſubſtitutionis Galliæ regibus obuenerant) infans, vtroque parente orbus, & regno Siculo deiectus, deceſſerat. Super hæc: Quod oblatū ſibi a Galliæ rege ordinis diui Michaëlis

* Tkurin.

inſigne; & centum ſimul cataphractorum equitum, cum congiario annuo duodecim millium aureorum, præfecturam, contemptim Carolus dux recuſaſſet. Quod denique, quo in Gallicum nomen flagrabat odio, Burgundica Hiſpanicaque ſequutus ſigna, Caroli quinti imperatoris partes, fœdere cum illo inito, ſemper ſuſtinuiſſet: & eo quidem tempore, quo infælici infauſtoque ad Papium congreſſus prælio, ſuperatus ab eo captuſque fuit. Has odij a Gallo aduerſus Carolum ducem tanta animi contentione ſuſcepti cauſſas præcipuas fuiſſe author eſt * Taboëtus. Qui per eius belli occaſionem bonis fortuniſque prope omnibus Carolum ducem exutum, cunctarumque prope ducatus ſui vrbium dominatu ſpoliatum tandem, porro ſcribit, dum Sabaudiæ (inquit) partem vnam, eamque cæteris fertiliorem, Bernenſes, alteram, quæ montana pleraque, Franciſcus Galliarum rex, tertiam, hoc eſt, ciuitates quaſque præcipuas, & prouinciæ totius robur Carolus imperator, ad ſe quiſque certatim trahunt. Haud admodum diuerſa his, de alienato a Sabaudo regis Franciſci animo, & cur loca illa, quorum nunc meminimus, ſibi tradi poſtularit, imo inuaſerit tandem, Guilelmus Bellayus Langey regulus, qui in principatus Pedemontij regis nomine procuratione fuit, vir inſigni familia ac perinde opibus (de quo merito dubites togane an bello præſtaret) & Paulus Iouius ſcripſere, quæ paucis ſubiicere viſum fuit.

* *Scripſit Latinè, ſed tranſlationem tãtum vidi.*

Offendit (inquiunt) regem Franciſcum Carolus
1. dux: Quod vaſa ſua aurea argenteaque & quicquid habebat pretioſi pignori oppoſuiſſet, vt Carolum Bor-

bonij

bonij ducem perduellem & Franciſco regi bellum (cuius ipſe exſtimulator eſſet acerrimus) mouentem, mutuo iuuaret.

Quod tametſi Franciſco regi auunculus eſſet, vxoris tamen Luſitanæ (erat hæc vxoris Cæſaris germana ſoror) illecebris (inquit Iouius) deprauatus, aſſiduiſque defatigatus precibus, neglecto Gallo, ſe totum ad authoritatem nutumque Cæſaris victoris contuliſſet; illique, Gallo ad Papium capto, de grandi hac victoria, datis ad eum literis, fuiſſet gratulatus. 2. 3.

Quod nullum non mouiſſet lapidem, vt Heluetios a fœdere, quod cum Gallo illis intercedebat, retraheret. 4.

Quod Aſtam vrbem, dono ſibi a Cæſare oblatam non recuſaſſet, (Bellayus ab eo emptam ſcribit) filiumque tanquam fidei obſidem in Hiſpaniam ad Cæſarem miſiſſet, qua ipſa tamen vrbe (quam ſupra centum annos ſine controuerſia Galli poſſediſſent) nullum certius Gallis regibus in Italia patrimonium eſſet: verum tam Cæſar, qui Gallos Italia penitus eiectos, vlla ad ſpem reditus in Italiam, certa ſede potiri, nolebat, auide expetenti Luſitanæ, nec abnuente viro eius, facile (inquit Iouius) conceſſit. Quæ vrbs coniuncta incluſaque ſubalpinis oppidis Allobrogico regno præclarum amplitudinis & roboris decus additura videretur. 5.

Quod Niceam Prouinciæ vrbem Maſſilienſium coloniam, a Gallis (quorum ditionis antea, nec omnino dubij iuris illa, inquit idem Iouius, fuiſſet) vrgentis belli neceſſitate pecuniæque inopia coactis, certa pecunia oppigneratam ſibi eripi nollet, ne oportuna, & muni- 6.

nitiſſima vrbe, quæ Galliam ab Italia diſterminaret exueretur, rege eam plurimum flagitante, reſtitutaque pecunia redimere contendente. Is enim vrbem excelſa arce validam, & propter Herculis Monœci portum magnas nauigationibus commoditates afferentem, ſi bellum gerere oporteret, magno ſibi vſui futuram prouidebat.

7. Imo quod indicto inter Pontificem & regem Gallum colloquio, ne celebrando quidem conuentu illi vrbem hanc patere voluiſſet.

8. Quod Gallo regi Mediolanum properanti, vt legati ſui Merueilleſi (quem Mediolani dux necari iuſſerat) indignam necem vlciſceretur, tranſitum per fines ſuos negaſſet. Cæterum conceptum ex hiſce cauſſis odium, vſque eo regis a Sabaudi amicitia alienauit animum, eaſque in eius pectore egit radices, vt quam de ſuſceptæ (inquit Bellayus) aduerſus Geneuenſes expeditionis fauſto fælicique ſucceſſu, ſpem animo ille conceperat, ea Galli vnius potiſſimum occultis conatibus fruſtraretur. Neque enim Veretſij dynaſta, in Sabaudico quidem ſolo natus, ſed ex intimis Galli regis miniſtris, Guidoque Ranconius, vt Geneuenſibus aduerſus Sabaudum ſuppetias ferrent, niſi conſcio, imo iubente fortaſſis etiam clam rege, in animum vnquam induxiſſent. Hæc expendentem, ſimulque quanta in vicini, & quidem potentiſſimi regis (qui puncto temporis maximum rebus ſuis, in vtramque fortunam momentum adferre queat) amicitia (qua nulla illi accidere poſſet opportunior) præſidia ſibi ſita eſſent, eius inquam regis, cuius vires potentiamque (quod Imperatoribus, quorum

 rum

rum imperia vna cum vita terminantur, negatum) in ſucceſſoribus etiã perſeuerare, & quaſi perpetuari videmus, debuiſſent dubio procul (inquit porro Bellayus) mouere Sabaudum, vt Imperatori, in cuius nuper amicitiam venerat, principi, in quo, quod procul abeſſet, præſidij minimum, & cuius temporarium momentaneumque eſſet imperium, regem vicinum, potentem & longa vetuſtaque ſibi neceſſitudine iunctum, in cuius etiam poſteris, illius beneficij memoria manſura perpetuo eſſet, præferret, & cum eo in gratiam redire cuperet. Sed eorum, quibus regem offenderat, ſibi conſcius (inquit) ſuper gratiam inuidiam facti eſſe, & reconciliationi locum haud patere exiſtimabat. In qua illum opinione confirmante, quæ huiuſmodi illi conſilia ſuggeſſerat, vxore, vt fortunam belli tot cladibus aduerſam, opportuno erga Gallum regem merito mutaret, induci haud potuit. Fuit quidem (inquit Iouius) aliquando magno conſiliorum æſtu iactatus Sabaudus, vir egregie probus & ad æquitatem procliuis, nec alieni vnquam appetens, an Gallo regi de Nicæa obſequendum foret, quum in eam nullum aliud quam inueteratæ poſſeſſionis ius ſibi eſſe fateretur. Verum Franciſcus Sfondratus ſenator, Mediolano Cæſaris nomine legatus in Allobroges miſſus, eum ab huiuſmodi conſiliis impenſe deterruit, teſtatus eum aduerſus Cæſarem facturum, ſi quicquam cum rege Gallo pepigiſſet. Eo modo Sabaudus, neque iubendi, neque vetandi potens, ne Cæſarem offenderet, cognationis iura, & Allobrogum principum amicitiam veterem, quæ hactenus illi cum Galliæ regibus inuiolata permanſerat, ea minaci obteſtatione perterritus,

territus, tueri non potuit; miſerabili profecto conditione, quod cum neutrum offendere vellet; vtrique demum, ſicuti mox euenit (cum eius regnum paulo ante opulentum vltra citraque Alpes auitæ atque antiquiſſimæ hæreditatis, a propinquo rege pariter, & ab affine amicoque Cæſare indigne lacerari conſpiceretur) ſe prædæ futurum proſpiceret. Heluetij quoque Geneuenſium moti precibus denuntiari Sabaudo iubent, ſi Geneuenſibus moleſtus eſſe pergat, ſe ſociorum confœderatorum cauſſam, quæ ſibi cum illis communis eſſet, haud neglecturos. Ad ea cum minus clementer reſpondiſſet Sabaudus, graue ſibi ab Heluetiis bellum imminere facile (inquit Bellayus) intelligebat: quod ſine Galli regis auxiliis illos haud ſuſcepturos, quia non dubia erat ſuſpicio, mittit propere ad Carolum imperatorem (quem Tunetana illa clarum victoria Panormum, quæ Siciliæ vrbs, veniſſe fama erat) docetque quanto in diſcrimine res ſuæ ſint. Quod ita clã ab eo fieri haud potuit, vt non emanaret, & ad Galli regis perueniret aures, erga quem grauius offendit; quod loca aliquot in Italia ſita ab Imperatore ſibi tradi poſtulaſſe diceretur, daturus pro iis in ius ditionemque Cæſari, quicquid in Gallia citeriore citra alpes ipſe poſſideret a Nicæa inde ad eum vſque locum, qua ad confœderatos aditus erat, Geneuenſi etiam oppido in ea ceſſione comprehenſo. In ſummas maximaſque (hercule) Galli regis res difficultates videbantur coniiciendæ, ſi ea tum inter Cæſarem Sabaudumq. pactio ſucceſſiſſet. Suo quippe vndique Cæſar imperio, in quamcunque ſeſe verteret partem, Gallos erat cincturus concluſuruſque, regemque

in

in tantas cōiecturus anguſtias, vt quam demum dubiis ſuis rebus conſulendi viam inire conueniret, haud facile eſſet reperturus. Rebus hunc in modum conſtitutis, neceſſe omnino erat, vt quacumque poſſet ratione (inquit Bellayus) ingens hoc a ceruicibus malum ſuis tempeſtiue rex auerteret, prouideretque diligenter, ne ſcalam Sabaudus in regni ſui finibus fabricaret, per quam facilis in ipſum regnum pateret aſcenſus. Simulatione tamen tantiſper rem extrahendam ſtatuit, dum quæ ad Vellyum, legati pro ſe munere apud Imperatorem fungentem, perferenda dederat mandata, perferrentur, & voluntatis ſuæ Sabaudus fieret certior. Poſtulauit ab eo per ditiones ſibi ſuas tranſitum vti concederet, vt loca ea quæ ſibi liberiſque præclaro hæreditatis iure, matris ſuæ Ludouicæ intuitu, obuenirent (quæ nullo, vti aiebat, cum titulo hactenus ille poſſediſſet) ſibi redderet. Neque enim diutius ea penes illum loca manere rex volebat, cuius fidem tantopere habebat ſuſpectam, & in cuius foret ſemper poteſtate, in Gallici regni hoſtium manus, quotieſcumque luberet, ea tradere. Ad ea, quod a Sabaudo accepturus eſſet reſponſum, quia facile erat ſuſpicari, & parum ſpei erat, Sabaudum voluntate quicquam facturum, vim adhiberi & metum placuit. Ad bellum itaque ſeſe parare, & ſtipendia, aliaque quibus ad eam rem opus eſſet decernere. Guilelmoque Furſtembergio, nobili claroque tribuno, (qui paulo poſt ad Carolum imperatorem defecit: Iouius exauthoratum a rege Gallo ſcribit, quod legiones prædæ habuiſſe, regiamque pecuniam interuertiſſe accuſaretur) militem vti conſcribat, & in Galliam protinus ducat, imperare.

rare. Nec mora, Galli, duce Philippo Chabotio, maris præfecto, coactis copiis, tranſalpinis (inquit Iouius) oppidis, quæ pertinent ad Allobrogum fines, inermem deſertumque ab omnibus ducem exuerunt, tranſgreſſique Alpes, aliquot munita oppida ſubalpinæ regionis, imprimiſque Taurinum, Foſſanum, Penarolum, & Cherium occuparunt. Ac niſi Antonius Leua eductis Mediolano copiis, cuncta inuadentibus occurriſſet, repreſſaque Gallorum audacia, iuſti exercitus vim rebellantibus oſtendiſſet, futurum erat, vt Vercellæ, & magna pars ſubalpinæ ditionis in poteſtatem Gallorum deuenirent. Neque tamen vlla res (inquit) in ipſo bene cœptæ prouenientiſque victoriæ curſu Philippum magis retardauit, quam Ioannis Lotharingiæ cardinalis aduentus: is enim ad Cæſarem cum ampliſſimis de pace mandatis miſſus, vbi in caſtra ad Taurinum peruenit, ſua authoritate, quæ apud regem erat eximia, Philippo perſuaſit, vt ſubſiſtere citra Duriam amnem, neque vlterius arma proferre vellet, ne ſummæ ſpei paratæ pacis atque concordiæ occaſionem, offenſo exacerbatoque Cæſare, corrumperet. Exiſtimabat namque ſe Cæſarem, ſuppreſſis armis, ſuſpenſoque bello, molliorem atque faciliorem inuenturum; vtpote quem neque vi ſubigi, neque vllo rerum ſuarum periculo permoueri poſſe intelligeret, vt quicquam ſuo nomine indignum cum armato hoſte paciſceretur. Sed bello paulo poſt denuo recrudeſcente, Sabaudia prope vniuerſa Gallus intra menſes pauciſſimos comitis Fani Paulini virtute potitur. Quæ cauſſæ Franciſcum Galliarum mouerint regem, cur Carolo duci bellum inferret, ſi Taboëto, Guilelmo Bellayo, & Pau-

& Paulo Iouio fides ſit habenda, hactenus oſtendimus. Ego quanquam vnam alteramue ex iis bello illi obtendi fortaſſis potuiſſe, non iuerim inficias, præcipuam tamen primamque fuiſſe exiſtimauerim dominandi imperiique fines proferendi inſanam diramque libidinem, materiem omnium malorum: quæ vbi ſemel in mortalium animos inuaſit, ceſſant ilico amicitiæ cõſanguinitatiſque iura omnia, eaque non ex re ſed ex commodo æſtimantur: adeo vt, niſi ſtatim feræ huic immanique belluæ fræna iniecerimus, in grauiſſima quæque vitia mox prolabamur, quin & religiônis tandem animo paulatim noſtro ſubrepat contemptus. Vidimus (proh dolor) id tempeſtate noſtra in hoc ipſo rege Franciſco, principe alioqui optimo, ſanctiſſimo, religioſiſſimoque, & cui (digno quem ad exemplar veræ gloriæ ſequentes reges legant) parem a multis retro annis regem Gallia non viderat. Qui cum Turcarum imperatore Solymanno turpe fœdus iniiſſe non contentus, eo tandem prorupit, vt quando viribus Cæſaris imparem ſeſe videret, barbarum hunc crudelemque (cui Chriſtiani ſanguinis hauriendi ſumma ſemper ſitis) tyrannum Conſtantinopoli vſque (non viſo vllo vnquam ſæculo exemplo) in Galliam primus Franciæ regum acceſſeret. Quo facto, & diuinum grauiter offendit numen, Galliæque res, florentiſſimæ tum, occidere atque defloreſcere paulatim ab eo tempore cœpere, & mortalium omnium graue in ſe prouocauit odium, partoque a priſcis olim Galliæ regibus (grauioribus, temperatioribuſque a cupidine imperij) ob ſtrenue fortiterque aduerſus Chriſtiani nominis hoſtes, geſtas res, glorioſo

nomini vim quandam inferre viſus eſt. Cæterum quod Philippum ducem Caroli huius patrem, cum Margaretam Borboniam vxorem ducturus eſſet, ſcribant promiſiſſe (& quidem prouinciæ Sabaudicæ ordinibus aſtipulantibus) vt quicunque ex matrimonio hoc naſcerentur liberi, patri in ducatu, ſexus nulla prorſus habita ratione, ſecundum ætatem ſuccederent, id equidem (quod cum bona Gallici nominis venia mihi dicere liceat) nemo facile mihi perſuaſerit. Philippum enim ducem virum ſapientiſſimum, æquique obſeruantiſſimum, populum autem Sabaudicum, veterum iurium conſuetudinumque retinentiſſimum ſemper fuiſſe comperior; adeo vt veriſimile non ſit, aut hunc validum ſemper fæmineo ſpernendo imperio, vel vbi infantis etiam filij tutelam ad ſe anxia mater vidua traheret (quod haud facile impetratum) in huiuſmodi pacta conſenſiſſe: aut illum, cuius maiorum in eo cura ſemper ne imperij decus fæmineo dominatu dehoneſtaretur (quod niſi obtinuiſſet, Eduardo comite fato functo, filia ei Margareta Britanniæ nupta duci, non autem Amadeus quintus frater Philippi huius atauus ſucceſſiſſet) quicquam futuræ coniugi, quod moribus Sabaudicis refragraretur voluiſſe polliceri. Neque eſt quod in affinitatis illius gratiam ab eo id factum opinemur, cum in confeſſo ſit, nonnullos ex eius maioribus, iam pridem, non illi ſolum, ſed regum etiam principumque potentiſſimorum domui per affinitatem innexos fuiſſe. Porro quas Guilelmus Bellayus, cur regis Galli amicitiam imperatoriæ præferre Carolus dux debuiſſet, in medium profert rationes, earum pleraſque ego, pro ve-

tere gentis illius more, ab affectu ſtudioque in princi-pem magis, quam ex vero profectas celebrataſque cre-diderim. Quod enim Cæſarum imperia momentanea eſſe,& vna cum vita occidere, Galliæ vero regum vires potentiamque immenſam, in hæredibus etiam perſeue-rare continuarique dicat; quam quæſo friuolum id? Quaſi vero imperatoriæ functionis limitibus, Caroli Cæſaris tot tantiſque auitis regnis conſpicui vires poten-tiaque circumſcriptæ, non aliunde ampliſſimum acce-perint incrementum. Cui imperatorium decus (quo ipſo pleroſque ex maioribus eius ante eum claruiſſe legi-mus, quodque in eius hactenus poſteris adhæreſcit) Romani imperij proceres accelerauere, vt regio titulo rebuſque cæteris parem ſibi regem Gallum, dignatione eius magiſtratus anteiret: præſertim poſtquam virtus, gloria,opes, atque alia optanda viris principibus illi ſu-perarent: quibus tantum faſtigium, inualidum alioqui inermumque per ſe,& alienæ(quod viſum ſæpius) indi-gum opis, pro maieſtate tueri poſſet. Quod non ita pri-dem adhæc Carolum ducem in Cæſaris amicitiam ve-niſſe; Galliæ autem regem principem vicinum, longa vetuſtaque illi neceſſitudine iunctum fuiſſe, neque vlla perinde firma imperij munimenta, quam vicini princi-pis amicitiam eſſe affirmet, non negauerim equidem Sabaudum Gallo regi fuiſſe auunculum. Quæ, hercu-le, res mouere merito Gallum debuiſſet (niſi ſpeciem magis in amicitia eius, quam vim Carolus dux tenuiſ-ſet) vt Ludouici iunioris Galliæ item regis exemplo, beneficiis auunculum ſibi conciliaret,non irritaret iniu-riis. Illi enim cum ante annos plus minus quadringen-

tos & quinquaginta, grauis cum Sabaudiæ comite Amadeo ſecundo, auunculo ſuo, quod grauiter ille ferret Ludouicum fratri ætate maiori in regno a parentibus prælatum, interceſſiſſet altercatio, non conquieuit, donec, diui etiam Bernardi ad eam rem vſus opera, in gratiam cum auunculo rediret. Sed id quoque auſim aſſeuerare, plures illi familiæ cum gente Burgundica, principibuſque illi confæderatis, quam cum Francica interuenire hactenus affinitates cognationeſque; neque vllam illi, imperij præſertim principi, Cæſaris, qui honoratum matrimonio ſororis ſuæ vxoris, in arctiſſimam affinitatem receperat, amicitia, oportuniorem, quod procul abeſſet, (in quo offenſæ minimum, gratia par) accidere potuiſſe. Quod aliter euenerit, diuini id numinis (cuius ſingulari prouidentia curaque inferiora hæc gubernantur) diſpenſatione ita accidiſſe: nihilque ſemper florere, ætatem ætati ſuccedere meminiſſe nos conuenit; priſtinum tamen decus priſtinamque rebus publicis, quas triſtes huiuſmodi exagitarunt caſus, redire tandem faciem, ſi nobis veræ virtutis. Poſtulat nunc tempus, vt eo vnde digreſſi ſumus redeamus. Non reſtitit primum Gallo Sabaudus, cum quod maximis in Geneuenſe bellum (quem populum ex eo Galli in Sabaudum odio, capta occaſione, rebellem ſibi, fruſtra ad officium reducere, Bernatibus pro eo pugnantibus, fuerat conatus) factis ſumptibus, exhauſtus, tanto gerendo bello imparem ſe videret; tum quia Carolum imperatorem (cuius Africano illo fœliciter defuncti bello, nihilo minor fama apud hoſtes quam apud ſuos confæderatoſque erat) controuerſiam eam omnem (per maieſtatem enim imperij,

perij, per amicitiæ affinitatiſque fidem eum fuerat obteſtatus) facile pro authoritate ſua compoſiturum ſperabat. Tulit grauiter eam Sabaudo factam iniuriam Carolus Imperator. De Gallo itaque rege Romæ apud Pontificem in pleno purpuratorum patrum legatorumque principum conſeſſu luculenta habita oratione, queſtus pluribus, quod principis affinitate ſibi iuncti, & in augusti imperij clientelam recepti, imo imperij vicarij, e cuius ipſe ſorore genitus eſſet, ſe abſente terras agroſque inuaſiſſet, in Galliam maximis mox itineribus cum omnibus ſuis copiis, vt afflicto oppreſſoque affini opem ferret (interea dum Tarantaſiam hoſtis, locum aditu difficillimum, perfidorum quorundam hominum agreſtium, quorum fluxa plerumque fides, proditione expugnat) ſæculi eius anno XXXVI. intento atque infeſto exercitu contendit. Animis infeſtiſſimis inter duos potentiſſimos orbis Chriſtiani monarchas annis aliquot, poſt deditum Imperatori Foſſanum (Franciſco Saluſſiarum marchione, qui paulo poſt in oppugnatione Carmaniolæ glande traiectus occubuit, à Gallo ad eum deficiente) vario euentu, cum non leui Pedemontani populi clade, bellum geſtum fuit. Pro Imperatore Guaſtius marchio, quem vicarium ſibi per Italiam, & Mediolani proregem fecerat, pro Gallo Guido pugnabat Ranconius, bello illi & prouinciæ Pedemontanæ a Gallo præfectus, magni ambo clarique duces, & fama rerum geſtarum florentes. Poſtquam variaſſent ſecundæ aduerſæque res non fortunam magis quam animos hominum, nouaſque ad exercitum ſuum ipſuſmet Galliæ rex, tempore anni difficillimo adduxiſſet copias, MDXXXVI.

 quarum

quarum aduentu, Taurinenſes Pignerolique arctiſſima qua premebantur obſidione, fuere liberati, induciæ tandem trimeſtres quinto cal. Decembris ſæculi eius anno
MDXXXVII. triceſimo ſeptimo factæ, & in alterū trimeſtre extractæ fuerunt. Quibus exeuntibus, neque pace, quod ſperabatur, ſuccedente, longe infeſtioribus animis bellū redintegratū geſtumque fuit. Indixerat ſæculi eius anno qua-
MDXLI. drageſimo primo Ratisbonæ (quæ Auguſta Tiberia dicta olim vrbs) comitia Carolus Cæſar, ad agēdum de componendis circa religionem controuerſiis. Eo cum Sabaudus quoque tanquam imperij veniſſet princeps, de rege Gallo multis apud Imperatorem proceresque, & Germaniæ totius ordines, verbis queſtus eſt, quod nullo ſuo ſuorumve merito, fortunarum ditionumque ſuarum partem meliorem, ſubalpina nimirum oppida cum Taurino ille inuaſiſſet detineretque. Reſpondendi ad eas querelas legato, qui a Gallo miſſus fuerat, facta poteſtate, ſcripto ab eo factum id fuit: ſed diuiſis vehementer inter ſe proceribus oppidiſque, & rebus ſupra modum turbatis, cum perfici nihil poſſet, bellum denuo (vti diximus) inter Imperatorem Gallumque ceptum geſtumque fuit. Annus iam agebatur reſtitutæ
MDXLIII. ſalutis MDXLIII. Quo ipſo anno præter mortalium omnium opinionem claſſis Turcica, quæ ex centum & quinquaginta nauibus, quæ remis agebantur, conſtabat, Hariadeno Ænobarbo nobili pirata duce, poſtquam a Gallis, vti diximus, accerſita æſtatem fere totam in Maſſilienſi otioſa hæſiſſet portu, Nicæam Prouinciæ portum (in quam vrbem, Niſſam appellatam nonnullis, Geneua pulſus antiſtes, ſedem ſuam tranſtulit)

lit) Galli regis (cui amiciſſimo, inquit Iouius, regi, opem ſuam imploranti, ea Solymanus Turcarum impe-rator auxilia ſubmiſit) decreto iuſſuque terra marique acerrime oppugnata, & muris propugnaculiſque omnibus crebro continuoque æneorum tormentorum verbere nudatam (fortiter ſeſe tuentibus obſeſſis, & magno præſentique animo Turcarum vexillo, cæſo ſignifero, capto) aſſumptioni diuæ virginis Mariæ feſto die, capit, diripit, vaſtat, incendit. Sed arcem quæ in extremo vrbis agro poſita, ſubiecta late maria deſpectat, arduoque calle vrbi coniungitur (antiquorum Prouinciæ regum, inquit Iouius, opus, clariſſimorumque ſæpe ducum carcere, & miſero vitæ exitu nobilitatum) ſingulari virtute fortitudineque, Pauli Simeonis præfecti, qui Rhodiæ militiæ aſſcriptus erat eques, egregie defenſam, & Alfonſo Guaſtio, ad quem captæ vrbis rumor nondum peruenerat, cum maximis copiis commeatuque in obſeſſorum, quos vndique clauſos, & hactenus ſine inuecto, quia ibi pauci erant, ex ante præparato ſuſtentatos, grauis tũ fames premere cœperat, auxilium, continuato diem noctemque itinere, in tempore accurrente (cuius aduentus fama gaudium, & metum inuicem Turcis obſeſſiſque præbuit) expugnare haud potuit. Inde Guaſtius cum Sabaudo Niceam ingreſſus, collaudauit Simeonem militemque, quod tanta clade amiſſæ vrbis icti, animum non deſpondiſſent, nec fructum ſecundarum rerum ſentire hoſteis paſſi, arce eos arcuiſſent, ciueſque in arcem profugos cum fide tutati eſſent. Amplo inde in arcem commeatu, rebuſque cæteris ad diuturniorem obſidionem tolerandam neceſſa-

riis

riis aliunde importatis, cum his copiis, quas metu Ænobarbi (qui ea ſpe potiundæ arcis deſtitutus, verſus Maſſiliam ad Tolonis portum, qui Tarenta antiquitus fuit, inquit Iouius, eſt reuectus) conſcripſerat, aliquot etiam additis cohortibus, Monteuicum ampliſſimam inter ſubalpinas vrbes ciuitatem obſidet. Mouit eum potiſſimum, quod vrbs tam nobilis & potens, ſicut defectione ſua traxerat aliquot populos, ita recepta inclinatura rurſus animos videbatur ad veteris imperij reſpectum. Nec fefellit eum opinio hæc. Statim enim vt poſt duram multamque oppugnationem, fortiter ſeſe defendentibus ciuibus, deditione tandem (quam dolo expreſſam Iouius ait) eo eſt potitus, caſtella ignobilia octuaginta quinque, oppidi illius imperium reſpicere ſolita, in Cæſarianorũ menſe Nouembri fidem redierunt, eaque vulgata res omnium ferme animos ad Cæſarem auertit. Ex Tholonis portu naues actuarias duas, in quibus maximus captiuorum numerus erat, & puellæ inter hos virgines nobiles eximia forma quam plurimæ, plurimi quoque pueri, ad Solymannum Conſtantinopolim Ænobarbus (qui donis ac pecuniis acerbe per eum tractum conquirendis, plus inuidiæ, quam virium Gallicis partibus addidit) miſit. Quorum, profecto, hominum miſerrima futura erat conditio, & de ſalute eorum actum fuiſſet, niſi Garcias Toletanus, vir bello inclitus, Neapolitani proregis filius, cum triremibus aliquot in Turcas actuariaſque acriter inuectus, conſerta ab omni parte pugna, victor tandem, receptos captiuos, in priſtinam vindicaſſet libertatem; quos domum, præſidio ad eorum cuſtodiam adhibito, curauit deducendos
cendos

cendos. Munera quoque donaque quæ Solymano mittebat Ænobarbus, per eam victoriam ſuæ Garcias fecit poteſtatis. Luxenburgenſis oppidi ipſa hac tempeſtate miſerabilis interuenit clades: Gallorum quippe, Caroli Aurelianenſis ducis Francisci regis filij virtute, opulentiſſima regionis eius vrbs facta ditionis, a Cæſarianis biennio poſt oppugnata, ad Cæſaris denuo, licet magnis additis operibus eam egregie Ioannes Melphitanus muniiſſet princeps, imperium ignobili deditione rediit. Bellum, quod in Cambreſio geſtum ſolo, obſidioque Landreſiana, & deſerti a Gallis Carignani pro Cæſare occupatio, in annum proxime inſequentem incidere. Succeſſerat in Pedemontana tum præfectura Guilelmo Bellayo Langeyo (qui paulo ante mortem obierat) Franciſcus Borbonius Angieui ſiue Anguiani regulus, Vindocinenſis ducis frater, regij ſanguinis & ſpiritus iuuenis: Is cum Cæſarianorum conſilia in eo verti videret, vt occupatis locis omnibus, quæ poſitu regionis aditum ad Italiam præberent, Italiæ adeundæ facultatem Gallō præriperent, Carignanum opere munitiſſimum locum obſidet, at fruſtra, donec deſperata vi, clauſis omnibus ad vrbem aditibus, verteret conſilium ad moras, haud ignarus paucorum dierum ineſſe alimenta. Cæterum dum obſeſſis opem ferre totis caſtris, commeatumque in eam vrbem importare Guaſti marchio parat, hoſtem ad Ceriſolum obuium habet. Ibi collatis ſignis pugnatum per vnam ferme horam fuit. Superatus tandem marchio, & a fortuna, quæ prima ad eum impreſſione inclinare viſa, deſtitutus, poſtquam inſignis manu, voce, vulnere, diu pugnam ſuſtentaſſet,

e media tandem cæde cum paucis effugit, amiſſamque prope victoriam ſingulari fortitudine ex eius denuo manibus Anguianus extorquet, & Carignanum paulo poſt (obſeſſum acrius quam oppugnatum) in deditionem recipit, omniquè circa agro potitur; poſtquam ſuprema omnia admirabili conſtantia ſub Pirro Columna (cuius maiores Cæſaris ditioni plurimum addiderant) & Felici Arconio comite, ducibus bello clariſſimis, toleraſſent obſeſſi, confectaque paucitas oppidanorum, opere, vigiliis, vulneribuſque, quæ ſemper eoſdem vrgebant: ſed obſtinatos mori, nulla magis vis
MDXLIIII. quam fames expugnauit. Ad nouem millia hominum prælio hoc dicuntur cæſa, prope duo millia capta. Hoc ipſo anno (qui fuit ſæculi eius quadrageſimus quartus) cum alium denuo Spiræ Nemetum Cæſar conuentum procerum ciuitatumque Imperij omnium (etenim legationes ad eius imperium ex omni ſe Germania effuderant) haberet, & Galliæ rex Franciſcus (cuius legati negato ſibi ad ea comitia aditu, quæ regis ſui nomine habebant perferenda mandata, typis excuſa, emiſere) imperij hoſtis fuiſſet pronuntiatus, cum quia imperij principem Sabaudiæ ducem, virum longe optimum, bonis fere omnibus, nullo eius merito, exuiſſet; tum,
Sleidanus commentariorum ſuorum, lib. 15. quod eius impulſu ſtipendioque, anno ſuperiori Turcica veniſſet claſſis in mare Liguſticum (grauiter eam rem vrgebat Cæſar) & in Sabaudiæ ducis, Imperij principis, agrum inuaſiſſet, captaque Nicea cum portu, magnis viribus arcem iis locis obſediſſet, & tormentis acriter (vti oſtendimus) oppugnaſſet. Bellum illi inferendum Caroluſque ducem Imperij, principem in ditiones bo-

naque ſua reducendum eſſe imperij ordines (quos eius caſum miſerantes, ea tum cura maxime intentos habebat) cenſent, ſemeſtremque Cæſari aduerſus Galliæ regem in equitum millia quatuor, peditum XXIIII, pecuniam decernunt, grauiſſimiſque vetant pœnis ne quis Germanici nominis Gallo militet, aut militantem vrbe, tecto, menſa, lare recipiat. Ingenti itaque collecto exercitu in Galliam Imperator, & rex Anglus (Imperatori is ſe iunxerat) diuerſi irruptionem faciunt. Luxenburgum Cæſar minus pertinaciter defenſum, deditione (paulo ante vti a nobis dictũ eſt) recipit. Hinc in Campaniam verſo itinere Ligniacum expugnat. Sandiſerio deinde Thyerriaque arce ille, Bolonia Anglus (quæ tentata ſæpius, a patre eius res, at fruſtra) poſt diuturniorem oppugnationem potiuntur. Multorum ſanguine ac vulneribus ea Cæſari Angloque victoria ſtetit. Ingens hinc ſequuta Lutetiæ trepidatio: ſed, Deo afflictam tum Galliam propitiis reſpiciente oculis, facta præter exſpectationem omnem, monacho quodam Hiſpano internuntio, pax, metum illum omnem ſuſtulit. Cæterum recrudeſcente denuo anno ſæculi eius quinquageſimo primo bello hoc, Chieraſium & Santdamianum Pedemontani ſoli oppida vi expugnantur. Captas autem biennio poſt ſtratagemate quodam Vercellas, in eodem tractu vrbem tenere Galli (quod magna Cæſar auxilia adducere dicebatur) cum non poſſent, ſpoliatam deſerunt. Tantos fortunæ fluctus, tot miſerandos caſus, cum aliæ ſuper alias clades cumularentur, aduerſamque eius fortunam detractarent, qui proſperis eius rebus ad obſequium certare ſolebant, patientiſſime Sa- MDLI.

 baudus,

baudus, bonis fere omnibus, ab eo qui Ludouicam matrem, & per eam ipſum auunculum præferebat, exutus licet, tulit, neque animo vnquam defeciſſe viſus eſt: do-
MDLIIII. nec tandem eiuſdem illius ſæculi anno quinquageſimo quarto, qui decimus nonus illi turbatæ reipublicæ, æuiternis illis (quæ nullis fortunæ ſubiecta caſibus) donandum bonis, ex infelici ſtatione hac, beatum vere principem (quo alij diutius eum dominatum tenuerunt, nemo tam fortiter reliquit) extrema iam ætate eripere Deo viſum fuit. Veriſſime (hercule) hiſtoricorum celeberrimus Tacitus dixit: Non eſſe mala vel bona quæ vulgus putet, multos qui conflictari videantur aduerſis, beatos, ac pleroſque quamquam magnas per opes miſerrimos, ſi illi grauem fortunam conſtanter tolerent, hi proſpera inconſulte vtantur. Vercellis ſepulto Carolo, Emanuel Philibertus filius ſucceſſit. Scribit Taboëtus (ſed penes eum fides ſit) vxorem ſibi Carolum dari poſtulaſſe Margaretam ſororis ſuæ Ludouicæ filiam, Franciſci regis ſororem, eaque negata, Emanuelis Portugalliæ regis filiam duxiſſe.

	ADRIANVS.	
———	IO. AMADEVS.	*nothi, vt apparet.*
	LVDOVICVS.	

BEA-



BEATRIX *Portugalla, Emanuelis Portugallia regis filia, Eliſabetha, quæ Carolo quinto Imperatori vxor fuit, ſoror: fæmina forma eximia, & ſui ſæcli ſexuſque decus.*

- CAROLVS *in Hiſpaniis apud Carolum imperatorem decedit.*
- EMANVELES *duo tenera ætate extincti, quorum pauci meminere.*
- CATHARINA *trima decedit.*
- EMANVEL PHILIBERTVS *dux.*
- ELISABETHA: / MARIA. } *obiere pueri.*

DE EMANVELE PHILIBERTO, DVCE SABAVDIAE DECIMO.

EMANVEL PHILIBERTVS, Sabaudiæ dux decimus, Carolo patri ſuo anno quinquageſimo quarto ſupra milleſimum & quingenteſimum ſuccedit, princeps longe clariſſimus. In Caroli quinti Imperatoris (ex quo ſpes opeſque eius pendebant, quique non ſecus eum fratremque eius Carolum, quam ſuum fouit ſanguinem) aula a puero enutritus, tantos mox in omni genere virtutum, & in re bellica fecit profectus, vt nemini non eſſet admirationi, & (quod de Pompeio magno dictum) citius dux quam miles euaderet. Præclara itaque eius perſpecta indole, accitum ad ſe benigne Carolus Imperator appellat. Macte virtute eſto Emanuel (inquit) apud me tibi omnis honos atque præmium erit, & quo frequentior mecum fueris, ſenties eam rem tibi dignitati atque emolumento eſſe: lætumque promiſſis iuuenem, equitum millibus quatuor, quos corporis ſui

cuſtodiæ bello Germanico aſcripſerat, præfecit. Neque tāti Imperatoris exſpectationem ille feſellit:eximia enim ſingulariſque eius, toto eo bello exſtitit fides. Cæterum regna ditioneſque ſuas omnes, Carolo imperatore (qui plenus honorum in Hiſpaniam rediit) in Philippum fi-
MDLV. lium ſuum ſæculi illius anno quinquageſimo quinto transferente, Belgicarum prouinciarum ab eodem rege Philippo, præfectura donatur. Quo ſupremo magiſtratu ita functus fuit, vt nondum exacto quadriennio, ad ditiones ſuas abiens, magnum ſui apud eum populum genteſque finitimas, princeps optimus relinqueret deſiderium. Fortunam, & viuo, & mortuo Carolo patre, nouercam ſibi aliquamdiu, aduerſus omnes eius impetus infractus immotuſque,ita reuerenter ſemper habuit, vt eius tandem miſertus Deus, auitis bonis illum reſtitueret. Poſt acceptas enim illataſque tantas inuicem cla-
MDLVII. des, & partam ſæculi eius anno quinquageſimo ſeptimo menſe Auguſto, eius ductu auſpiciiſque (vniuerſis enim caſtris rex Philippus eum præfecerat) memorabilem illam de Gallis ad S. Quintinum victoriam, vrbemque ipſam paulo poſt expugnatam, & poſt captas ex aduerſo a Gallis Caliſium, Guyneum, Thionuillam & Dunkerckam vrbes (diuino haud dubie numine victoriam cladem que æqua quaſi lance inter vtrumque partiente, ne ſi alteri paullum modo tribuiſſet fortuna, conditionibus pacis vti detrectaret is, qui ſuperior videretur, neque æqua contentus eſſet parte, qui omnia habiturum ſe confideret) pace inter Philippum Henricumque reges biennio poſt facta,bona ditioneſque ſuas omnes (ciuitatibus aliquot, Taurino ſcilicet, Villanoua,

Aſtenſi,

Aſtenſi, Quierſio & Chiualio demptis (quas aliquanto tempore Gallo retinere permiſſum) recepit, Henrici regis ſorore Magareta (ita enim conuenerat) vxore ducta. Cæterum poſtquam ciuitates illas quas Gallus retinuerat,tradi ſibi poſtulare tandem Sabaudus cepit, qui a rege Carolo eo nomine nono (Franciſco is fratri tum ſucceſſerat) eius rei cauſſa miſſi Lugdunum venerant legati, moras nectere , aduerſam regis voluntatem cauſſari , & multa in excuſationem adferre: In primis Niceã & Villafrancam vrbes dependentiaque ab iis loca Prouinciæ comitatui annexa antiquitus , Prouinciæ comitibus paruiſſe ſemper, Ioannamque reginam Roberti regis Neapolitani,& Prouinciæ comitis neptem,& poſt eam Ludouicum eo homine primum Andium ducem (cui bona ſua omnia ſalutis anno MCCCLXXX; illa donarat) ea poſſediſſe,illique Ludouicum ſucceſſiſſe filium. Exorto autem inter Andiam Aragoniamque familias,per cauſſam Neapolitani regni bello , Sabaudiæ proceres ea vſos occaſione, Niceam , & Villafrancam finitimas oportunaſque augendo principatui ſuo vrbes, contra ius faſque,nullo ad eas titulo inuaſiſſe,neque vnquam (monitos rogatoſque licet ſæpius) eas tradere voluiſſe. Cæterum cur Galliarum rex ad ea ſibi loca ius eſſe dicat , cauſſas illi eſſe iuſtiſſimas , inter quas Caroli Andij ducis Prouinciæque comitis , & Neapolitani ex ea familia regis poſtremi teſtamentum , quo bonorum ille ſuorum omnium , Ludouicum eius nominis vndecimum Galliarum regem , Carolum Delphinum eius filium, & quicunque in Franciæ regnum in poſterum eſſent ſucceſſuri , inſtituiſſet hæredes,

redes. Oportere itaque Sabaudum, antequam poſtulatis eius rex ſatisfaciat, loca illa regi, qui verus legitimuſque eorum dominus ſit, reſtituere. Idem & de Pedemontano principatu facere debere Sabaudum, quem ipſum Prouinciæ quoque antiquitus illigatum (quod ex editis ſuper ea re anno MCCCVI, tabulis videre eſſet) & a Ioanna regina antedicta (quam ſæculi illius ipſius anno LXIII, eo pulſam, Prouinciæ ordines, vt pecuniario ſe ſubſidio ad principatum illius patrimonij ſui partem, recuperandum, iuuare vellent, oraſſe in confeſſo eſt) poſſeſſum fuiſſe aiebant. Aſtenſem adhæc comitatum, publicum regni Gallici patrimonium, quem a Ioanne Galeacio Mediolani vicecomite Valentinæ filiæ, dum Ludouico Aurelianenſi nuberet duci, Caroli regis atauo, dotis nomine datum, & a Carolo quinto imperatore occupatum, contra ius faſque Sabaudus hactenus poſſideret, ab eo cum prouentibus ad eum vſque diem perceptis, repoſcere. Controuerſum quoque hactenus inter Galliæ reges Sabaudiæque principes Salutianum marchionatum, quia ſibi rex Carolus adiudicari debere affirmabat: monebant, vt quibus rationibus ea quæ pro ſe reges Galli in cauſſa hac adduxiſſent, vellet impugnare, in medium tandem proferret, & ſimul tot interpoſitis eius ipſius controuerſiæ cauſſa ſenatus decretis parere ne grauaretur. His dicebant accedere, Quod cum Sabaudi proceres, Geneuenſis comitatus Foucigniique dominatus reſpectu (quod a Delphinatu ea dependeant loca) Galliæ regis ſint beneficiarij, conuenire omnino vt fidem ſuam anteceſſorum ſuorum exemplo, qui idem factitaſſent, Carolo regi eorum lo-

corum

eorum ergo obſtringat, eiuſque ſe Sabaudus profiteatur clientem. Oſtendere ad poſtremum, dum Philippus Sabaudiæ dux ſalutis anno MCCCCLXXI. Margaretam Borboniam vxorem duceret, illaque dotis ad eum nomine coronatorum aureorum millia ſexaginta, & ſupellectilis adhæc pretioſiſſimæ plurimum adferret, matrimonij illius legibus cautum inter cætera tum fuiſſe, vt qui ex eo coniugio primus naſceretur filius, Baugeum is comitatum, & in Breſſano ſolo Satrapeam Bourgiam (Galli Caſtellaniam appellant) præcipui inter liberos titulo poſſideret, ea lege vt eo defuncto, liberi reliqui ex eodem illo matrimonio, eius locum repræſentaret, & in ea dominia proximus natu poſt eum ſuccederet. Enimuero cõtractui illi ſtandum ſi ſit, dubium eſſe nemini, quin Ludouica Franciſci primi regis mater, ex antedicta Margareta cum Philiberto fratre nata, Carolo poſterioris coniugij filio, in hæreditatis a communi patre profectæ aditione præferri, (æquari ſaltem) debuerit, eorum ſaltem bonorum a quibus lege Salica non excluderetur: inter quæ Baugeum comitatum Bourgiumque eſſe, extra controuerſiam omnem cum ſit, inſignem, hercule, Ludouicæ eiuſque poſteris factam iniuriam, quod vel eorum ſaltem locorum potiri non potuerint, ſuffragantibus præſertim, & ea illis bona deferentibus contractus illius legibus, quibus diſertis id caueretur exprimereturque verbis. Multa præterea alia cur promiſſa exuenda cenſeret rex, a legatis regiis eo colloquio dicta allegataque ſunt: ſed quæ, poſtquam repente turbare fortuna cepit, motuſque illi, quibus florens illa quondam ſuper regna omnia cætera Gallia miſere

conflagrauit, exorti, fructu ſuo caruere; præſertim poſtquam altercatio ea omnis nuperrima illa pace penitus fuiſſet ſublata. Quin cum eo regis Galli iam recidiſſent res, vt finitimorum illi principum, & eorum quoque cum quibus longum diuturnumque regibus Gallis fuerat diſſidium, amicitia, ad inteſtina diſſidia pacanda, & ciuiles motus comprimendos opus omnino eſſet; Bourdillonio (haud perinde Sabaudi metu, quam fidei ſuorum diffiſus) imperat regulo (Pedemontanis eum Franciſcus eo nomine ſecundus rex, Caroli regis frater, præfectum dederat) vt Taurinum, Villam nouam Aſtenſem, Quierſium & Chiuaſium oppida Sabaudo eiuſque vxori in manum tradat, ea lege, vt viciſſim Sauillanum, Pignerolum vna cum Abbatia adiacente, Ginolleum, & quicquid eorum locorum reſpiceret imperium, a Sabaudo protinus reciperet. Monitus ea de re Bourdillonus præfectus, tribunos militum, quibus eorum locorum cuſtodia demãdata erat, centurioneſque conuenire iubet, quibus cum mandata regis cognoſcit, quod optimum factu eſſet exquirens, placet tandem, omniumque in vnum congruunt ſententiæ (non improbantibus conſilium quos negotij huius cum Sabaudo tractandi cauſſa, iampridem in Sabaudiam rex miſerat) quando nullius magis intereſſet quam ipſiuſmet regis, non properari, certiora exſpectanda eſſe iuſſa. In regis quippe, quod adminiſtrando regno nondum illi matura eſſet ætas, ea de re ſtatuere negabant eſſe poteſtate. Rem quippe eſſe maxime arduam, præſertim quando vltimo (vti aiebant) Lugdunenſi conuentu, inter regios Sabaudique legatos conueniſſet,

niſſet, Niccam vrbem vna cum arce locíſque illi ſubiectis, & perceptos, ab anno inde MCCCLXXXVIII, (quo Ludouico Grimaldo tradente in Sabaudorum principum ea venerat poteſtatem) fructus regi reſtitui debere. Reddi etiam conuenire Conynum, Foſſanum, Sauillanum, Mondeuiſum, & dependentia ab iis oppidis loca, relinquique penes regẽ Quierſium cum toto ſuo tractu. Æquum quoque eſſe vt quæ facta ſalutis anno MCCC quinquageſimo quarto inter Gallum regem Sabaudumque pace, conueniſſent, ea Sabaudus (ſua illi aduerſus quemcunque videretur ſalua manente actione) præſtaret; vtque quæcunque Aſtenſi ſubiecta comitatui poſſideret oppida, caſtella, vicoſque, Gallo reſtitueret. In confeſſo adhæc eſſe, quæ Ludouicæ Sabaudæ Franciſci eius nominis primi regis matri, hæreditatis, Philippo patre defuncto, debita fuerit pars, ea eius hæredes haud debere fruſtrari. Idem quoque de vniuerſa Philiberti ducis (cuius ea, ex iiſdem quippe cum illo nata parentibus, vnica ſolaque hæres eſſet) hæreditate cenſeri debere, demptis tantum Romano imperio ſubiectis, iiſque locis, ad quæ recepta antiquitus per Sabaudiam conſuetudine, fœminis non patet acceſſus. Latæ quoque quinto Idus Iunias Domini anno MCCCXC, a ſenatu Pariſienſi ſententiæ, qua regis Delphini Salutianus marchionatus imperio parere, Sabaudus marchioni loca ea omnia quæ illi, marchionatuique ademerat, reſtituere iubentur, a Sabaudo paritum nondum fuiſſe. Eſſe autem loca hæc, Bargeſium, Caourſium, Pancalierum, Ennecam, Villamnouam Solieriam, Moretteam & Murellum, quatuor ad hæc quinqueue, quæ

Solieri regulus poſſidet caſtella, Carignanum, Monaſterolum, Cardeam, Vigonum, Villamfrancam, Cauallimourſum, Raconiſum, Moullebruneum, Caraillum, Someriueam, Camaraigneam, Cauallerlyonum, Polongniereſum, Cazalgrazam, Fortpaſſum, Fauleam Malázanam, Villefallettam, & Buſqueam. Conynum enim, Foſſanum, Monteuicum, Sauillanum, & Centallum eo inſtrumento quod anno DCCCCLXVII. Otto magnus imperator, dum Aletanum propinquum ſuum Saluſſianum creat marchionem (is enim marchionum primus fuit) confici iuſſit, contineri tanquam marchionatu ſubiecta loca, extra controuerſiam eſſe. Quæ tamen ipſa paulatim a marchionatu alienata Prouinciæ comitibus ceſſere. Enimuero hinc eſſe quod duplici ſibi nomine ad ea loca ius eſſe reges Franci contendant, cum quod marchionatus Salutiani (qui ad Gallos recidiſſet reges) limitibus contineantur, tum quod Prouinciæ deinde comitibus (quos ſacro intentos bello Sabaudiæ principes per iniuriam iis ſpoliaſſent) paruiſſent. Ad Taurinum quod attineret, non fuiſſe regem Francum colloquio illo Lugdunenſi ea vrbe, quaſi nihil ad eam iuris haberet, priuatum, ſed quoniam non ſatis ſolidis tum temporis rationibus ius ille ſuum confirmaſſet, permiſſum illi fuiſſe, vt intra certum id tempus, ſi ita illi videretur, facere poſſet. Quanquam ad eam rem probandam longiore indagatione haud admodum eſſet opus, cum in recenti ſit memoria, eius loci ciues, cum a Carolo duce ſalutis anno MDXXXVII, deſertos ſe & quaſi in prædam datos viderent, Franciſcum eo nomine primum adiiſſe regem, & eius ſua ſe ſponte imperio ſubmiſiſſe,

miſiſſe, orantes multis verbis, vt in fidem, & clientelam ſe vrbemque receptos, Galliſ in poſterum regibus parcere pateretur. Placuiſſe oblatam conditionem regi (qui clementer appellatos eos dimiſiſſet) ſcriptoque (cui ſenatuum Gallicorum omnium, & eorum qui ſequuti ſunt regum acceſſiſſet conſenſus authoritaſque) quæ conuenerant, mandata fuiſſe. Quæ omnia cum propius expenderet præfectus Bourdillonus, honori ſuo omnino conuenire ſuarumque eſſe partium exiſtimauit, reginam Caroli regis matrem, Nauarræ regem, regis per Galliam vniuerſam vicarium, regij ſanguinis proceres, Comeſtabilē, Franciæ mareſchallos, & Cancellarium, priuatique conſilij regij ſenatores (penes quos omnes, imperij tum, propter ætatem regis, vis ac poteſtas, honor penes regem) eorum omnium facere certiores, demiſſiſſimeque eos orare, vt reſtitutionis illius reſcriptum corrigere atque reformare, illique vna cum rege ſubſcribere, annuloque ſinguli illud ſuo ſignare (ſenatuū Gallicorum, Pariſienſis præſertim, & eius quod ærario regio rationibuſque propoſitum eſt conſilij, accedente authoritate) ne grauentur, ne ſibi (cui a Franciſco eius nominis ſecundo rege eorum locorum cuſtodia fuiſſet demandata, cuique eius magiſtratus ergo fidem ſuam obſtrinxiſſet) ſuorumve cuiquam vitio olim verti poſſet, quod eorum regni proceres, dum conſulta cum illis integra adhuc haberet, non præmonuiſſet, quod multis aliis, & intra & extra Galliam in re ſimili contigiſſet. Hoc ſuum conſilium gratum ratumque haberent nec ne, magis regis intereſſe quam ſua; ſuam quippe fidem exſolutam eſſe; ad regem pertinere ne quæ ſemel placuiſ-

 ſent,

ſent, reſcindendo, alios in poſterum ſegniores præfectos duceſque faceret. Ad ſe quod attineret, quoniam regni Gallici ordinum, quos in eam reſtitutionem conſentire æquum erat, conuentum indicere per bella hæc ciuilia integrum non ſit, regis, reginæ matris, Nauarreni regis, principum ſanguine regi coniunctorum, & eorum quorum rex conſilio vteretur, voluntati iuſſiſque obſequi paratum, ſe dummodo (ſi tantiſper dum rex adoleuerit, & ad iuſtam peruenerit ætatem, exſpectari non queat) vtriuſque regis procerumque antedictorum, Comeſtabilis, Mareſchallorum, & Cancellarij, ſenatus denique priuati eam eſſe mentem voluntatemque per publicas ſibi tabulas eorum omnium manu ſubſcriptas annuloque ſignatas (quibus ipſis parlamentorum Gallicorum, Pariſienſis præſertim, & conſilij ærario regio præfecti accedat authoritas) conſtet. Obſecrare iterum ſe, ne in malam partem conſilium hoc ſuum quiſquam accipiat. Regis enim omnium maxime, & ſua inde quoque plurimum intereſſe ita fieri. Hæc fere ſunt quæ (ad rem hanc quod attinet) ſenatui regio Burdillonus ad XVII, cal. & Octobreis anno a partu virgineo MDLXII, reſ-
MDLXII. pondit. Multos circa vnam rem ambitus fecerim, ſi quæ de negotio hoc Belleforeſtus aliique Gallico addicti nomini ſcriptores multis porro tradunt verbis, omnia exequi velim. Qui aduerſus ea pro Sabaudi ſcripſerit cauſſa, neminem mihi legere contigit hactenus. Quanquam mirati non poſſim ſatis, cur legati Lugdunum miſſi, Bourdillonuſque præfectus Sabaudo controuerſa loca reliqua omnia reddere iuſſus, ea quæ nupertima illa inter Gallum Hiſpanumque reges pace, matura

vtrumque

vtrumque præhabita deliberatione, ſuper locorum Sabaudo ademptorum,reſtitutione,conuenere,in anxiam nunc denuo vocent diſputationẽ, regiæque obnitantur voluntati, poſtquam omnis illa tot annorum altercatio, matrimonio, quod inter regis Caroli amitam Margaretam, & Emanuelem Philibertum ducem per eas pacis leges fuit contractum, natis præſertim ex eo coniugio liberis,penitus fuiſſet ſublata. Hæ Bourdilloni præfecti literæ (ad rerum ordinem vt veniamus) magnis in ſenatu regio contentionibus iactatæ, diuerſis ſtudiis accipiebantur. Vicit pars quæ tradi lóca, nec differri Sabaudum malebat, & ſplendidiſſimus quiſque eodem inclinabat: In priore itaque decreto perſtitum fuit, aliùdque ad eum denuo miſſum mandatum,alij codicilli,quibus reſcribebat rex: Gallos ea non vti conſuetudine,vt quæ ſenatus priuatus decreuiſſet,ea parlamentariorum conſeſſuum, præfectorumque rationũ examini iudicioque deindè ſubiicerentur, aut ab alio mortalium vllo quam ab eo qui ſenatui ſtatus (ita auguſtum illud appellant collegium, quod principi ſemper adeſt, eumque quocunque proficiſcitur comitatur, in quod & proceres plerique prouinciarum præfecti, allegi ſolent) a ſecretis eſſet,ſubſcriberentur. Maiorem enim parlamentaria præfectorumque ærarij cognitione, eius ſenatus eſſe dignitatem.Cæterum ad ſenatum ipſum quod attineret, Nauarrenum regem cæteroſque ſenatores, Bourdilloni in hac occaſione (quoniam ita rex vellet iuberetque) deſiderio vt ſatisfacerent, regios codicillos, licet ſine exemplo, & præter conſuetudinem, manu annuloque ſuo ſignaſſe. Reſtitueret itaque ſine vlla vlteriore mora Sabaudo

baudo

baudo quæ iuſſus erat loca, dummodo in eorum ex aduerſo poſſeſſionem rex collocaretur, quæ ex colloquij illius Lugdunenſis præſcripto regi Sabaudus tradere tenebatur. Erant hæc Sauillanum, Petrouſea, Pynerollum & Ginolleum. Sed Sauillanum, & Pynerollum rex
MDLXXIIII. Henricus tertius dum ſæculi eius anno ſeptuageſimo quarto in Galliam ex Polonia Carolo fratri in regnum ſucceſſurus, properat, facto per Taurinum itinere, Emanueli duci (a quo honorifice admodum, maximis ad ingentis comitatus effuſis ſumptibus, fuit exceptus, quique officij cauſſa ab domo profectus fuerat) in vxoris eius amitæ ſuæ & Caroli filij gratiam, donauit, reſtituitque. Literis hiſce Gaillonio VI. cal. Octobris miſſis, infra regem ſubſcripſere regis mater, rex Nauarrenus, Ferrarienſis (pontificius tum apud Galliæ regem legatus) & Guiſius cardinalis, Rupis ad Yonam princeps, & Guiſius Aumaliuſque duces, Annas quoque Mommorentius, Franciæ Comeſtabilis, cum Ioanne de Selua priuati conſilij ſenatore. In ima tabula, Roberteti ſcribæ nomen erat. Cæterum quomodo porro inter regios Sabaudique legatos tranſactum, & quibus hæc vtrimque facta conditionibus traditio ſit, quia referre longum foret, ad Franciſcum Belleforeſtum (ex quo hæc decerpſimus) eius cognoſcendæ rei auidum lectorem remitto. Repetebat quoque Sabaudus a Bernatibus (inquit poſt Lancelotum Voiſinumus qui de ſtatu religionis, &
» reipublicæ in regno Galliæ commentarios, ſed ſuppreſ-
» ſo nomine, Latine ſcripſit) magnam partem, quam illi,
» e ſua ditione bello olim ceperant, eaque res apud ſolen-
» nem Heluetiorum conuentum, frequenter fuerat inter
illos

illos agitata, affirmantibus Bernatibus regionem illam ſibi iure belli, quod legitime ſuſceperant, ceſſiſſe. Eo tamen, cum Hiſpanicæ illæ Albani copiæ ad Belgicam expeditionem profecturæ exſpectarentur, quod anno fuit Domini MDLXVII, cum Sabaudo conueniunt Bernates (ipſiſſima authoris verba, vt penes illum fides ſit, allego) ſociorumque Heluetiorum arbitrariæ ſententiæ ſtant, Sabaudo tres præfecturas Geneuæ viciniores, Tononum, Gyam, Ternium condonant, pactis conditionibus, ne quid in religione commutaretur, aut iis in rebus, quas dum eam regionem tenuiſſent, ciuilibus ſententiis decreuiſſent. Sabaudus cæteræ regionis latæ quidem, & feracis iuri plane illis cederet. Vendicabat ſibi præterea dux Sabaudiæ in Geneuenſes principatum, eamque iuriſdictionis partem, quam vice-dominus Epiſcopi olim exercebat, Caroli quarti Cæſaris bullam obtendens, a Maximiliano & Carolo quinto confirmatam. Geneuenſes contra opponebant Fredericum Cæſarem, cum Bertholdus Zeringuæ dux iuriſdictionem quandam in comitijs Gebenneſij gratiam ab eo impetraſſet, habito conſilio principum imperij, petente epiſcopo Geneuenſi paulo poſt, anno videlicet MCLXII, *conceſſionem eam reuocaſſe, atque adeo antiquiora ciuitatis iura atque priuilegia confirmaſſe, eiuſque exemplo Carolum quartum anno MCCCLXVIII, quicquid (vt ex vetuſtis notis ipſa verba repetamus) ab eo per obreptionem Sabaudiæ comes obtinuerat, reſcidiſſe. His autem conſequenter Gebenneſios, & poſt illos Sabaudiæ comites, homagium eccleſiæ Geneuenſi comitatus Gebenneſij nomine præſtitiſſe, feudumque profeſſos eſſe,

*Ingens hic ſubeſt mendum, typographi fortaſſis incuria.

„ eorumque omnium authentica exhibebant. Itaque non
„ debuiſſe poſteriores Cæſares ea ipſa quæ a maioribus,
„ ſuis iure reſciſſa fuerant, altera parte non audita denuo
„ reſtituere, belli præſertim & tumultuum tempore. Cen-
„ ſuerant equidem Heluetici arbitri, deberi litem iſtam
„ quoad vicedominatum (vi & facto vtrimque ceſſanti-
„ bus) aut amice aut iuridice terminari. At dum reſtituen-
„ dæ (vti diximus) a Bernatibus regionis inſtaret tempus,
„ ex compromiſſi formula, & illac Hiſpani copiæ ad Bel-
„ gicam expeditionem tranſirent, ne quid noui accideret,
„ Geneuenſes accurata vigilantia, ſibi ipſis præſidio, &
„ aliis neceſſariis quantum poterant cauebant. Sed rem
vtramque, quid nimirum Sabaudo Heluetij, & quare
ademerint, quidque Sabaudo in Geneuenſes iuris
competat, quia vberius paulo Lancelotus Voiſinus Po-
pelinierei dynaſta, nobilis Gallus (qui Galliæ hiſtoriam,
vnus omnium ſui ſæculi, Hugonoticæ factioni addictus
licet, affectuum immunis, vernaculo ſcripſit idiomate)
tradit, eius hic verba tranſcribere viſum fuit.

„ Bernates Friburgenſeſque (inquit) in Heluetiis, gra-
„ uem ſibi ab Iolanda Sabaudiæ ducis Amadei vidua in-
„ iuriam factam exiſtimabant, quod (propter Philiberti
„ filij ſui, infantis adhuc, ætatem, in ducatus exiſtens pro-
„ curatione) Carolo Burgundiæ duci, qui in Iacobi Sa-
„ baudi Romonnij comitis gratiam (cuidam ille eius gen-
„ tis, ouinas aliquot Geneuam ad mercatum vehenti pel-
„ les, euerſo curru, pellibuſque ſublatis, fuerat iniurius)
„ bellum aduerſus eos ſuſceperat, ſuppetias tuliſſet. De
„ hac itaque iniuria ſeſe vt vindicarent, magno numero
„ Domini anno MCCCCLXXVII, (fractis tũ vehementer

aduerſis

aduerſis aliquot præliis Burgundi viribus, in Sabaudiam irrumpunt, locaque aliquot ſibi finitima primo capiunt impetu. Eſtauageum ſcilicet, Moratum, Auancheſium, Paierneum, Montenatum, Yuerdonum, Fonxdum, Laſerranum, Santericium, Morgeſium & Nyonium. Geneuenſes autem, repræſentatis florenorum millibus viginti ſex, confœderatorum in Heluetiis oppidis partibus aggregantur. Idem quoque Geneuenſium exemplo factum a Lauſanenſibus. Quæ paulo poſt, poſtridie nimirum calendas Martias, a Burgundo Sabaudi auxiliis capta ciuitas, & ſui denuo (Burgundo nonis Ianuarijs proxime ſubſecutis ad Nanceium infami dete ſtandaque Nicolai Campobachij nobilis Neapolitani, hominum quos vnquam terra tulit ſceleſtiſſimi, perfidia, cæſo) emptione facta iuris, Domini tandem anno MDXXXVI, Bernatum amplexa religionem, eorum ſe voluntati permiſit. Romontij quoque comitatus loca omnia ſuæ tum fecere poteſtatis Heluetij, eaque hactenus, paucis admodum demptis, retinent, nequicquam Sabaudo cæteriſque principibus finitimis, quibus eorum inter ſe confœderationes vireſque vehementer ſunt ſuſpectæ, ea ad ſe trahere conantibus. Cæterum ad Geneuæ quod attinet comitatum, eam rem altius paulo (inquit porro Voiſinus) repetamus neceſſe eſt. Cum Sabaudiæ principum imperium arctioribus adhuc circumſcriberetur limitibus, neque dominationis inſolentia vltra eos ſe efferret, priuato Geneuenſes principi, quem comitem appellabant, paruiſſe conſtat, at inuitos ſatis, adeo vt loci illius epiſcopo (qui plenum in ipſam ciuitatem, pro recepto apud Germaniæ populum more,

» vbi, quod & in pleriſque Galliæ obtinet locis, eccleſia-
» ſtici ordinis proceribus fere omnibus conceſſum id vi-
» demus, Imperium ſibi arrogabat) nihil non moliente,
» vt, libertatis longe maioris ſpe eorum animis iniecta,
» ſuæ eum populum ſubiiceret poteſtati, minus illi eſſent
» obſequentes. Inuenire etiamnum hodie eſt tabulas ali-
» quot peruetuſtas, ex quibus patet, Archiepiſcopo Vien-
» nenſi componendi exortam inter Humbertum præſu-
» lem, & Aimonem comitem controuerſiam, ſalutis anno
» MCXXIIII, demandatam prouinciam. Cæterum Præſu-
» le illo fato functo, qui in eius ſucceſſit locum, ad Frede-
» ricum Imperatorem eo nomine primum profectus ilico,
» ſupremo ab eo dominatu in ciuitatem illam donatur, ea
» lege vt comitis eam poſſidens titulo, nullius mortalium
» præter imperatoris reſpiceret imperium. Comes Impe-
» ratorem grauioribus alibi negotiis ſatis implicatum ra-
» tus, ne Sabaudiam Sabaudumque poſſet reſpicere, præ-
» ſuli negotiũ faceſſere non deſtitit. Durauit aliquamdiu
» inter eos qui hos ſubſequuti ſunt comites præſuleſque
» altercatio hæc, donec tandem comes Guilelmus, quod
» grauibus præſulem imperij clientem iniuriis affeciſſet,
» ab imperio proſcriptus; & bonis, quæ epiſcopi benefi-
» cio poſſidebat, priuatus fuit. Verum præſule illo e
» viuis ſublato, eum nihilominus Geneuenſi populo
» Guilelmus comes moleſtus eſſe pergeret, Moriennæ co-
» mitis, principis fortiſſimi, (cuius poſteri Sabaudiæ pri-
» mum comites, inde duces dicti fuere) opem aduerſus
» eum implorare coactus fuit. Moriennenſis eam am-
» pliandi imperij ſui nactus occaſionem, Geneuenſi ſupe-
» rato, ditionis ſuæ fines ad Geneuenſis oppidi portas vſ-

que

que protulit, locaque ea omnia, quæ Geneuenſi hacte- »
nus paruerant, metu partim, partim armis, ſub impe- »
rium ſuum venire coëgit. Quin eo non contentus re- »
rum ſucceſſu, ſed maiora longe animo moliens, quos »
in bellum illud fecerat ſumptus, ab epiſcopo populo- »
que Geneuenſi repetebat. Illi territi, præterquam quod »
gerendo bello non ſufficiebant, timore etiam incuſſo »
ne cum Moriennenſi in gratiam tandem (cui erant in- »
fenſiſſimi) comes rediret, re in deliberationem contro- »
uerſiamque deducta, & variis dictis ſententiis, Morien- »
nenſi tandem ſummam imperij, & quicquid comiti in »
ciuitatem Geneuenſem iuris hactenus fuiſſet, deferunt. »
Sed eius dominationis capti protinus ſatietate canonici »
ciueſque Geneuenſes, quod peius ſe ab eo quam a vete- »
re domino haberi tractarique dicerent, queruntur for- »
tunæ commutationem, & veteris in ſe domini indul- »
gentiam (inſtigantibus qui gloriæ Amadei obtrecta- »
bant) requirunt. Mutato itaque conſilio, quem princi- »
patu paulo ante deiecerant, reuocant denuo. Sed maxi- »
mas illum, quibus vrbem inuaderet, adducentem co- »
pias, loco illi præſidio a Sabaudo relicti milites, profli- »
garunt, ſupplicioque de iis qui ex ciuibus cum illo clam »
conſpirarant ſumpto, eorum domus funditus euertunt. »
Stetit altercatio hæc, quam diu vtriuſque poſteri, ex- »
ſtinctiſque demum cum vniuerſa ſtirpe comitibus, fi- »
nem habuit. Cæterum comitibus illis ſublatis tandem, »
cum grauiter ferret Amadeus, eius nominis comes Sa- »
baudiæ ſextus, epiſcopi authoritatem ſuper ſuam eſſe; »
potentiæ auidus, vt legati ſeu vicarij imperij munere in »
ſubiectis ſibi ditionibus fungeretur, a Carolo eo nomi- »

» ne quarto Imperatore obtinuit, quo per eam ſcilicet oc-
» caſionem præſulem oppidanoſque ſibi ſubiiceret: ſed illi
» animis obſtinatiſſimis pro libertate ſua niti, & veteres
» illas comitum Geneuenſium renouare denuo querelas,
» donec tandem Sabaudiæ dux primus Amadeus, Mar-
» thini eius nominis quinti Pontificis maximi beneficio
» munereque, plenum atq. merum in ciuitatem agrum-
» que Geneuenſem ius obtinet. Quæ res cum maximis
» grauiſſimiſque diſſidiis occaſionem annis iam aliquot
» præbuiſſet, cum tandem, Carolo duce Sabaudiæ ſceptra
» tenente, habuit exitum, vt eius principis, optimi licet, in
» vniuerſum excuſſo iugo, religionem quoque vna cum
» domino, anno a partu virginis MDXXXVI, Geneuenſes
mutarent. Hactenus Lancelotus Voiſinus. Taurini tandem Emanuel Philibertus dux (eo vnde digreſſi ſumus, vt redeamus) ſæculi huius anno octuageſimo, mense Ianuario, ſupremum, multis fortibus factis gloria militari illuſtris, expleuit diem, Carolum Emanuelem filium, vt bonorum, ita & virtutum omnium relinquens hæredem; Vercellis cum ingenti exequiarum pompa elatus, paternoque ſepulchro illatus fuit.

MDLXXX.

	AMADEVS.	
———	PHILIPPVS *eques Melitenſis.*	*norbi.*
	MATILDES.	

MAR-



MARGARETA Franca, Berrij dux, } CAROLVS EMANVEL dux.

Franciſci primi, & Henrici ſecundi Galliæ regum, illius filia, huius ſoror, Emanueli, ſalutis anno MDLIX, ad VII. Id. Iul in decumbentis ex accepto vulnere Henrici regis cubiculo, pridie antequam expiraret (ita enim ille voluit) nullo cum apparatu nubit: & ſeculi eius anno ſeptuageſimo quarto decedit.

DE CAROLO EO NOMINE QVARTO.

CAROLVS eo nomine quartus, Emanuel cognominatus, Sabaudiæ dux vndecimus, Pedemontij princeps, Suſæ marchio, Moriennæ Tharenteſiæ, Briſgoiæ, Breſſæ, & Geneuæ comes, ſæculi huius anno ſexageſimo primo natus, Emanueli Philiberto patri, principi longe maximo, anno octuageſimo ſuccedit: MDLXXX. octuageſimi autem octaui extremo Carmaniolam Salutiumque (quæ annis aliquot rex Gallus tenuerat oppida) inuadit capitque, & quidem optimo (vti aiebat) iure. Facta quippe anno eiuſdem ſæculi quinquageſimo nono (vti diximus) inter eius nominis ſecundos, Philippum & Henricum, Hiſpaniæ illum, Galliæ regem hunc, pace, cum Emanuel Philibertus, Caroli pater, Henrici regis ſororem Margaretam vxorem duceret, conuenerat inter cætera, vt Sabaudo Gallus rex adempta proximis viginti tribus annis, quibus bellum cum eo ge-

eo geſtum fuerat cruentiſſimum, loca omnia in matrimonij huius gratiam reſtitueret; vrbibus aliquot Carmaniola Salutioque inter cæteras demptis, quas tantiſper Gallus rex poſſideret, dum prolem Margareta ſoror eius Emanueli pareret, traditurus tum & illas. Nato itaque Carolo hoc, cum monitus aliquoties a Sabaudo Gallus rex, ciuitates illas ſibi vt ex pacis illius legibus tradere vellet, ſurdas hactenus præbuiſſet aures; ſubiit tandem Caroli ducis animũ impetus, ea loca oppugnandi. Cuius rei ſemper cupitæ, oblatam per bella ciuilia, quibus miſere tum Gallia laborabat, occaſionem, & alij vulgo fremebant, & ipſe non diſſimulabat; Philippi præſertim Hiſpaniarum regis, regum ſui ſæculi longe potentiſſimi, ſoceri ſui, ſubnixus auxiliis. Cæterum quæ poſt expugnata ea loca, in Sabaudia Prouinciaque inter Galliæ regem (cui ſe Geneuenſes, cuius ille populi patrocinium in ſe ſuſcepit, iunxere) Sabaudumque infeſtiſſimis hactenus animis, varioque euentu, nunc ad hunc, nunc ad illum inclinante fortuna, geſta bella ſunt, quoniam neminem mihi hactenus legere contigit, qui bona cum fide calamoque incorrupto, literis ea mandarit, aliis, quibus ad eius rei veritatem (quæ, prout hæc proh dolor, tempora ſunt, haud facile ad noſtras peruenire poteſt aures) indagandam plus erit otij, plus oportunitatis, deſcribenda relinquo; præſertim quando quem ea bella exitum habitura ſint, in vnius ſoliuſque Dei manu arbitrioque ſit poſitum. Poterunt illi ex profeſſo eam rem tractare, fæliciuſque multo pertexere. Mihi ſatis eſt quod quæ mei potiſſimum in ſuſcepto opere hoc fuere propoſiti inſtitutique executus ſum, ſi

aſſecutus

aſſecutus, iudicet æquus beneuoluſque lector; quem præmonitum velim, me neminem mortalium lædendi offendendiue cauſſa hoc ſuſcepiſſe operis, ſed vt gentis nobiliſſimæ vetuſtiſſimæque originem atque propaginem poſteris tradendo, honeſto liberalique otio in hac vergente ætate mea tempus fallerem. Si alicubi forte aberrarit calamus (quod præter voluntatem tamen meam erit) humanæ id fragilitati facile condonabit quiſquis ſe atque me hominem eſſe meminerit. Qui aliter affectus ſit, tantum eius ego iudicio, quan um ſapientiæ tribuo.



CATHARINA *Hiſpaniarum regis Philippi eo nomine ſecundi, & Iſabella Francæ (cui Henricus ſecundus Galliarum rex pater) filia altera, Carolo duci anno ſalutis* MDLXXXV. *nupta, ſaculi eius anno nonageſimo ſeptimo, menſe Nouembri inchoante, cum mariti totiuſque gentis Sabaudicæ ſummo luctu, non multo poſt quam peperiſſet decedit.*

- PHILIPPVS EMANVEL.
- VICTOR AMADEVS.
- PHILIBERTVS.
- MAVRITIVS.
- THOMAS.
- MARGARETA.
- MARIA.
- ISABELLA.
- CATHARINA.

LAMBERTI VANDERBVRCHII

SABAVDORVM

Ducum Principumque

HISTORIÆ

GENTILITIÆ

LIBER ALTER.

Siue minorum natu in gente Sabaudica ſtirps, & poſteritas.

THOMAS Sabaudus, Flandriæ ab vxore priore comes, Thomæ Sabaudiæ comitis & Beatricis Geneuenſis (Flandriæ annales Margaretam appellant, & Fuſtenaiſi reguli filiam fuiſſe aiunt) filius tertiogenitus, multis præclariſque animi atque corporis dotibus præditus princeps, atque vbi res poſceret manu ſtrenuus, Pontificis Romani aduerſus Fredericum Imperatorem, cauſſam vna cum Philippo fratre (cui Lugdunenſi, Pontificis beneficio, archiepiſcopo, Sabaudiæ tandem comitatus obuenit) egregie fortiterque armis tutatus, Lugdunum vſque in Galliam, Imperatoris conſpectum congreſſumque fugientem Pontificem deduxit. Cuius longe gratiſſimi officij reſpectu ab eodem Pontifice Innocentio, eccleſiæ magnus Confalonnierius (ita ſupremum illum appellant magiſtratum) & patrimonij Romani

factus fuit adminiſtrator, natamque ex Innocentij Pontificis fratre Petro Lauaniæ comite filiam Beatricem, vxorem duxit, priore vxore Ioanna Flandriæ comite fato functa. Ioannam hanc Flandriæ comitem vxorem cum ducturus eſſet, conuenit inter cætera, vt ſi Thomam Ioannæ ſuperſtitem eſſe contingeret, librarum Pariſienſium monetæ Arteſianæ millia annua ſex Thomæ ex Flandriæ prouentibus penſitarentur, vtque vectigalis publici vrbis Montenſis in Hannonia annuæ penſiones illi cederent. Sed Margareta Ioannæ ſoror, ſtatim vt, ſublata ſorore, rerum potita eſt, repræſentatis in numerato librarum (quas Tournoiſias appellant) millibus ſexaginta, annuam eam omnem penſionem redemit. A diuo Ludouico Galliarum rege non ante in clientelam receptus eſt, quam vbi quæ inter regem, prioremque Ioannæ maritum Ferdinandum, & Ioannam ipſam ſalutis anno MCCXXV conuenerant, rata grataque habuiſſet. Rimini, Vrbini & Camerini regulos Pontifici minus obſequentes, imperium eius agnoſcere, eiuſque iuſſis parere coegit. Supremum tandem ſæculi illius
MCCLI. anno quinquageſimo primo diem obiit. Lugduno, eo e viuis ſublato, migrans Pontifex, fratri eius Philippo patrimonij Romani curam adminiſtrationemque mandat. Crediderim Thomam hunc filium inter cæteros habuiſſe Philippum Moreæ principem, ſed id affirmare non auſim. Nihil enim ea de re certi hactenus comperio.

IOANNA Flandriæ comes, Balduini comitis & Imperatoris Conſtantinopolitani, ex Maria, cui Henricus Campaniæ comes pater, filia; Margareta, quæ Flandriæ poſt eam imperium tenuit, ſoror. Quæ in Ferdinandi Portugalli (cui Sancius Portugalliæ rex pater) ma-

trimonio

trimonio ſuerat. Nubit Thomæ ſalutis anno MCCXXXVI. *moritur* MCCXLIII.

BEATRIX *Lauania, Petri Fliſci, Lauanij comitis (cui Innocentius quartus eo nomine Pontifex, frater) filia, quam optime de ſe eccleſiaque Romana merito Thomæ Sabaudo vxorem Innocentius Pontifex dedit Fratres Beatrici fuere*	THOMAS *Pedemonti princeps.* AMADEVS *Sabaudiæ comes eo nomine quartus.* LVDOVICVS *Vaulxij regulus, quem nonnulli natu maximum fuiſſe exiſtimant.* ELEONORA, *cui vir Ludouicus Beauieus (Beaureni alii) dominus.* BEATRIX *Delphina. Huius pauci meminere.*

Hadrianus Pontifex eo nomine quintus, & Albertus Fliſcus Lauaniæ comes.

THOMAS Sabaudus Pedemonti princeps, Thomæ proxime ante poſiti ex Beatrice Lauania vxore poſteriore filius, ab Humberto Delphino Viennenſi eius nominis primo, ſalutis anno MCCLXXXVI, dum Amadei, Sabaudiæ, conceſſu fratrum, comitis, partes tuetur, in inſidias pertractus, pugnans trucidatur. Eſt qui Thomæ huic Mariam Portugallam vxorem aſſcribat, eamque Ferdinandi Portugalli & Ioannæ Flandriæ comitis (quam Ferdinando e viuis ſublato, Thomæ Sabaudo, Thomæ huius patri, nupſiſſe diximus) filiam fuiſſe affirmet, at non recte. Illa enim aut liberis caruit, quæ plerorumque opinio eſt, aut prolem tantum vnicam habuit, eamque Mariam, quæ niſi innupta deceſſiſſet, matri in Flandriæ comitatu debuiſſet ſuccedere, eumque in liberos porro ſuos tranſmittere.

Vide quæ ad Amadeum quartum annotata.

GVIDONA *Burgundiæ Palatina, Hugonis, Alicia ſeu Alexia vxoris ipſius Burgundiæ Palatini, filia: Quæ Alexia mortuo Hugone, Philippo eius nominis primo Sabaudiæ nupſerat comiti, cui prolem nullam (ſuperiore vti oſtenſum libro) peperit.*

- PHILIPPVS *Moreæ, & patre mortuo Pedemontii princeps.*
- PETRVS *archiepiſcopus Lugdunenſis.*
- LANCELOTVS.
- AMADEVS.
- THOMAS. } *Addunt hos nonnulli.*
- GVILELMVS. } *Addunt hos nonnulli.*

MCC-LXXIIII. *Guidonæ huic, dum ſalutis anno* MCCLXXIIII. *Thomæ Sabaudo nubit, quatuordecim francorum millia doti data fuere, ea lege, vt, ſi liberis non procreatis decederet, ad fratrem eius Othonem, aut Othelinum ea dos rediret. Errant qui Mariam Conſtantinopolitanam (quam Ioannam nonnulli, Eliſabetham appellant alij) Balduini eo nomine ſecundi imperatoris Conſtantinopolitani, & Marthæ Brenniæ filiam, Roberti imperatoris neptem, & Philippi qui Conſtantinopolitanus (at titulo tenus) imperator dictus fuit, ſororem, Thomæ vxorem fuiſſe aiunt.*

PHILIPPVS Sabaudus Moreæ (Epirum nonnulli eum appellant tractum, inquit Paradinus) aliquamdiu, mortuo deinde Thoma patre (qui ex Guidona Burgundiæ Palatina eum procrearat) Pedemontanus dictus princeps fuit. In Philippi huius poſteritate deſcribenda, cum certi nihil occurreret coniecturis ſubinde vtendum mihi fuit. Vixit tempeſtate hac Ioannes Sabaudus, qui ſtrenuam fortemque Amadeo comiti operam nauauit, ſed quis illi pater fuerit, hactenus mihi non liquet, neque etiam quas Philippus hic vxores (quas tres fuiſſe aiunt) & quos ex quaque liberos habuerit.

IACO-

- IACOBVS *Moreæ princeps.*
- AMADEVS *epiſcopus Maurianenſis.*
- EDVARDVS *epiſcopus Sedunenſis, Tharentaſius deinde archipræſul.*
- THOMAS *epiſcopus Taurinenſis.*
- AYMO.
- AGNES *vxor Ioannis Chambrei comitis, Petri comitis filij, cui Ioannem peperit eo nomine ſecundum, qui duas habuit vxores, Richardi Roſilloni comitis, & Ioannam Ioannis Cabilonenſis Aurantij principis filias. Ex poſteriore filium procreauit Vrbanum, cui filius Caſpar.*
- MARGARETA.
- IOANNA.
- ISABELLA.
- ALEXIA.
- BEATRIX.
- IOANNA.
- ELEONORA.

IACOBVS Sabaudus, Moreæ poſt Philippum patrem princeps. Quem Amadei Sabaudiæ comitis eo nomine ſexti (cui moriens liberos ſuos commendauit) cognatum patruelem fuiſſe Paradinus ſcribit. Credo dicere voluiſſe ex cognatis patruelibus natos. Princeps fuit optimus, prudentiſſimus, & conſilio plurimum pollens. Paulo poſt Philippum filium viuere deſiit. Tres illi aſſcribuntur vxores, ſed ignotæ hactenus mihi.

PHILIPPVS, *cui pater ſuperſtes, ſed non diu admodum.*

AMADEVS *Moreæ, Achaiæ, & Pedemonti princeps.*

LVDOVICVS, *quem vna cum Amadeo fratre Amadei Sabaudiæ comitis, eo nomine ſexti, tutelæ moriens commendauit pater. Sunt qui Ludouicum hunc eiuſque fratrem Amadeum Iacobi Sabaudi Moreæ principis ex Philippo filio nepotes fuiſſe ſcribant.*

PHILIPPVS Sabaudus, Iacobi proxime ante poſiti filius natu maximus, iuuenis potentiæ promptæ, patri ſuo Amadeoque eius nominis ſexto Sabaudiæ comiti (peſſimis Barnabonis Mediolani vicecomitis, & Galeacij eius fratris conſiliis aures, iuuenta incurioſus, præbens) bellum adoleſcens, terminos ætatis, & conceſſa filio egreſſus, infert. Sed prælio ad Foſſanum ſuperatus, paulo poſt, Deo, quod aduerſus patrem auſu temerario arma infelix ſumpſiſſet, vltore vindiceque, moritur, & quidem patre ſuperſtite. Vxores illi dantur duæ.

LVDOVICVS.

AMADEVS Sabaudus Moreæ princeps, Philippi ſuperioris frater, Iacobo patri ſuccedit, & illi Ludouicus filius.

LVDO-

MAHALTIS Geneuenſis, Amadei Geneuæ comitis, & Mahaldis Luxenburgenſis (cui Guido Luxenburgēſis S. Pauli comes pater) filia, Guilelmi Geneuæ comitis, & Agnetis Sabaudæ neptis.

LVDOVICVS *Moreæ princeps.*

MELCHIDES.

LVDOVICVS Sabaudus Moreæ princeps, Amadeo patri cum ſucceſſiſſet, Amadei comitis eo nomine octaui (cuius ſororem Bonam vxorem duxerat) tutelam ad ſe trahere inter cæteros conatur.

BONA *Sabauda Amadei comitis eo nomine ſeptimi filia, octaui ſoror.*

LVDOVICVS Sabaudus Iacobi Amadeique Moreæ principum, illius filius, huius frater, Ludouicique proxime antepoſiti patruus, fratre eius Amadeo in paterna ſuccedente bona, in Amadei comitis eo nomine ſexti (qui ei tutor a patre datus) conſortio vitam traduxit.

MARGARETA.

LVDOVICVS Sabaudus Vaulxij regulus, Thomæ Sabaudi ex poſteriore vxore Beatrice Lauania filius, Thomæ Sabaudiæ comitis, & Beatricis Geneuen-

ſis nepos. Pleríque Ludouicum hunc cum eo Ludouico, qui, Amadeo eius nominis ſexto Sabaudiæ comite puero exiſtente, in comitatus procuratione fuit, quique ſub Domini annum MCCCXLIII, deceſſiſſe ſcribitur, eundem eſſe exiſtimant. Sed mihi id nunquam perſuaſerint. Neque enim quod inter vtriuſque, Thomæ nimirum Pedemontani principis, qui Domini anno MCCLI deceſſit, & Ludouici Amadei ſexti tutoris (qui anno demum MCCCXLV fato functus ſcribitur) obitum, interfluxit temporis interuallum, id permittere videtur. Crediderim itaque Ludouicum illum Ludouici huius filium fuiſſe; præſertim poſtquam Amadei comitis quinti (cui quartus pater) cognatum cum fuiſſe Paradinus ſcribat. Sed hac de re ad Amadeum quartum plura.

ADELINA Lotharinga Mathei ſecundi Lotharingiæ ducis ex Catharina Lutzenburgenſi vxore altera, filia. Errat Belleforeſtius, qui Adelinam hanc Ludouico Sabaudiæ comiti nuptam fuiſſe ait; neque enim quiſquam hoc nomine per Sabaudiam id temporis imperauit.	LVDOVICVS. PETRVS. CATHARINA. BLANCA. ISABELLA. LAVRA. ELEONORA. MARGARETA. IOANNA. BEATRIX.

LVDOVICVS Sabaudus Vaulxij poſt Ludouicum patrem regulus eo nomine ſecundus, cui vxores duæ.

CATHA-

CATHARINA Mediolanenſis, Actij Galeacij principis Mediolanenſis, & Beatricis, cui Eſtenſis marchio pater, filia.

IOANNES moritur viuo patre.

CATHARINA. Cui viri tres: Azo quartus Mediolani Dominus, ſalutis anno MCCCXXXIX. *fato functus, Radulphus Neellus Eui & Guineſi comes, qui ſaculi illius anno quinquageſimo, proditionis accuſatus, Ioanne Galliarum rege iubente (Franciæ Comeſtabilis licet) capite plexus fuit, filia relicta Ioãna, quæ Gauthero Brennio Athenarum duci, eoque defuncto Ludouico Eureuxio Stamparum nupta comiti. Tertius Catharinæ maritus fuit Guilelmus comes Namurcenſis, qui Vaulxij dominium Amadeo ſexto comiti vendidit. Eſt qui Catharinam hanc Iacobi Sabaudi filiam fuiſſe ſcribat. Ionius eam matronam pudiciſſimam appellat, & principi Mediolanenſi nuptam fuiſſe author eſt. An is idem quem hic Azonem appellamus?*

GVILELMVS Sabaudus Thomæ comitis Beatriciſque Geneuenſis filius quintus, Amadei tertij frater. Valentianus in Delphinatu ab Innocentio quarto Pontifice in Thomæ fratris gratiam renuntiatur præſul. Quo munere præclare admodum dum fungitur, veneno, æmulorum quorundam ſumma perfidia, Aſſiſij (quæ Vmbriæ ciuitas) tollitur. Delatumque in Sabaudiam defuncti corpus, in Altecombano monaſterio tumulatur. Accidit id Domini anno MCCXXIX. Princeps fuit optimus, liberaliſſimus, & morum ea elegantia, vt mortalibus omnibus longe eſſet gratiſſimus, nobilitati, & ſui ordinis hominibus præſertim. Leodicenſis quoque, Gregorio nono Pontifice renuntiante, præſul Guilelmus hic factus, cum Waleramo Limburgen- MCCXXIX.

ſi du-

ſi duce graue geſſit bellum, ſed Thoma Sabaudo fratre eius maximas in auxilium eius adducente copias, armis protinus poſitis, pacem cum Præſule Waleramus dux fecit.

AMADEVS Sabaudus, ſuperioris Guilelmi frater, cum perpetua vſus inualetudine, adminiſtrandæ reipublicæ minus eſſet idoneus, in caſtellum quoddam ad lacum Lemanum, cui Chillonio nomen, ſeceſſit. Pietati autem ſe totum tradere cum deſtinaſſet, in Pennis (Villam nouam ad eundem lacũ Lemanum oppidum hoc appellant) ædiculam ſacram, & excipiendis qui Romam iter illac peregrinationis cauſſa inſtituerent, mortalibus noſocomium exſtruxit. Illi ſacerdotes qui Deo aſſidue ſacra facerent, huic homines pietati totos addictos, qui pauperum ſedulam gererent curam, eorumque morbos vlceraque curarent, præfecit. In noſocomio hoc lepræ deprecaturus morbum (in quem propendere videbatur) reliquum traducens vitæ, anno tandem
MCCXLVI. dem ſalutis MCCXLVI deceſſit. Alij in rupe quadam me-
al.XLIIII. dio inter fanum diui Mauricij & Moncellum loco, in quam, æde ſacra exornatam, Chillonio relicto, cum vitæ ſibi finem imminere videret, ſe receperat, ſupremum egiſſe diem, & in noſocomio, quod exſtruxerat, ſepultum referunt.

BONIFACIVS Sabaudus, Thomæ Sabaudiæ comitis filius ſeptimus, Amadei Guilelmique, quorum proxime meminimus frater, ſacrarum literarum ſtudio a puero deditus, tantos mox fecit profectus, vt cæteros ea tempeſtate, ſcientiæ illius peritia præemineret, &

Can-

Cantuarienſi in Anglia mereretur donari archiepiſcopatu. In quo ſe vitæ genere ita geſſit (aderant etiam illi modeſtia ac forma principe viro digna) vt regi & populo Anglico vniuerſo eſſet admirationi, vehementerque a mortalibus omnibus diligeretur iuxta atque coleretur: præſertim cum ita eum formaſſet natura, vt admiranda incredibilique corporis pulchritudine ſui ſæculi viros omnes ſuperaret, Abſolonemque eum, tanquam iuuentutis Sabaudicæ pulcherrimum, vulgus appellaret. Cum iam annis aliquot in Anglia ſe tenuiſſet, fratrum ſuorum, nataliſque ſoli reuiſendi captus deſiderio, in Sabaudiam, traiecto Oceano, cum magni nominis regulis aliquot Anglis ad Amadeum comitem fratrem venit. Ibi opinione diutius hærens, vt ampliſſimis monimentis nominis ſui memoriam patrio in ſolo perpetuaret conſecraretque, ædes aliquot ſupra modũ magnificas, arceſque præterea duas locis amæniſſimis, in ſummo ciuitatis Roſſillonæ faſtigio vnam, ad Vginetum alteram, maximis ſumptibus exſtruxit. Cæterum dum ægre a cariſſimo fratre auellitur, viri aliquot nobiliſſimi ex eius comitatu cum primariæ Sabaudicæ nobilitatis fœminis matrimonia contraxere. Erant inter hos quidam ex gente quam Holandicam Angli appellant; a quibus Crecherelli, Dancreſcherei, Saixeique, veteres claræque in eo tractu familiæ, deſcendere. Ad archiepiſcopatum tandem ſuum ingens gloria reuerſus Bonifacius, caſtiſſime ſanctiſſimeque (ad ſtuprum a mulieribus nonnullis, quæ in eum exarſerant, quas forma magis quam caſti commendabant mores, importunius ſæpius ſollicitatus licet) quod reliquum fuit vitæ

in ea functione traduxit, puellaſque complures inopes, at pudicas, honeſtis adoleſcentibus (qua in pauperes MCCLX. erat liberalitate) collocauit. Salutis tandem anno MCCLX, tædio curarum feſſus, conceſſit vita, mortem eius effuſiſſimis lachrimis amicis ciuibuſque proſequentibus. Defuncti exuuiæ in Sabaudiam delatæ, maiorumque eius in monaſterio Altecombano illatæ monimento, plurimis claruere miraculis.

IANVS Sabaudus Geneuæ comes, Baſgei marchio, Ludouici Sabaudiæ ducis ſecundi filius.

HELENA *Luxenburgenſis, Ludouici Lutzenburgenſis comitis ſancti Pauli filia.*

LVDOVICA *Sabauda, Baſgei marchio, cui vir Franciſcus primus Lutzenburgenſis, Martigueſij dynaſta, qui ex ea procreauit Franciſcum Luxenburgenſem Martigueſium, qui duxit Carolam Pontieurei comitem, Renati comitis filiam, procreauitque ex ea Sebaſtianum Lutzenburgenſem Martigueſium Pontieurei ducē, cui vxor Maria filia dynaſtæ, Beaucairei, vidua domini Vademontoiſij, ex qua procreauit Mariam Luxenburgenſem Martigueſiam Pontieurei ducem, quæ virum habuit Emanuelem Philibertum Lotharingum Mercurij ducem.*

LVDOVICVS Sabaudus, Geneuæ comes, & Cypri ab vxore rex, Ludouici Sabaudiæ ducis ſecundi, & Annæ Luſignanæ, cui Ioannes eo nomine ſecundus Cypri rex (ex quo Carola Ludouici vxor nata) frater, filius, regno ab vxoris fratre notho Iacobo exutus, Ripallico ſe monaſterio in Sabaudiam reuerſus mancipat, vbi vitæ reliquum ſanctiſſime peregit, & ſalutis tandem
MCCCCLXXXI. anno MCCCCLXXXI. pridie calendas Martias liberis carens decedit.

CARO-

Carola Luſignana Cypri regina, Hieroſolymorum quoque, & Armeniæ (at titulo tenus) Antiochiæ dux, & Tripolis comes, Ioannis eius nominis ſecundi Cypri regis, & Helenæ Palæologæ *Petri aliis, & fortaſſis verius. *filia hæresque vnica, Ioanne Portugallo (qui Ioannem eo nomine primum Portugalliæ regem auum habuit) priore marito, quem viuens ſocer in regni communionem euocarat, mortuo, Ludouicum hunc ſalutis anno* MCCCCLIX, *in matrimonium regnumque accepit.* MCCCCLIX. *Sed à Iacobo fratre notho, homine ſuperbo, æqualis quoque, adeo ſuperiorum, intolerante (cuius ſimulatum aliquamdiu obſequium, quo incautiorem ſororem opprimeret, quando Carolæ quidem nomen epiſtolis edictiſque proponeretur, vis penes illum eſſet) regno tandem imperij anno tertio pulſa fuit. Ad Sabaudos itaque reuerſo Ludouico, in Italiam illa, Pontificis aduerſus ſceleſtum perfidumque fratrem ſubſidium imploratura, cultu vultuque quam maxime ad præſentem fortunam comparato, proficiſcitur. Quo impetrato, Ancona protinus ſoluens in Cyprum ad ſpem vltionemque accincta reuertitur, & Paphium locaque eo in regno alia aliquot recipit: egeſtoque quicquid turbidum, redit vrbibus illis ſua forma legeſque, & munia magiſtratuum. Sed haud diu admodum ea ſubditis quies, illi imperium hoc manſit. Ægypti quippe Sultani (qui ad omne facinus duratum hominem tributarium ſibi fecerat, quo minore ſpe veniæ, creſceret vinculum ſceleris) auctus opibus copiiſque Iacobus, bellum renouat, fugatoque (quem in Cyprum, feliciore illo rerum ſuarum læta ſucceſſu, atque eo ſecurior Carola vxor reuocarat) Ludouico, amiſſa loca illa omnia recuperat, regnumque denuo inuadit, truculentior quam antea, tanquam aduerſus defectores, & in tempore rebellaturos. Famaguſtam quoque, Genuenſium parentem imperio vrbem, vt erat magnis auſis promptus, expugnat. Catharina autem Conaria (aliis Cornelia) Marci Cornelij Conarij patricij Veneti filia, quam vxorem Iacobus duxerat, a ſenatu Veneto adoptata, in Venetos, mortuo anno ſeculi eius ſeptuageſimo marito (qui eam ex ſe grauidam reliquerat) prætcrita in vniuerſum Carola (quæ breui & inglorio imperio perfuncta eſt) regnum hoc (ita enim morti vicinus maritus rex cauerat) prolem poſthumam, ſine liberis decedere ſi contingeret, tranſtulit, ſenatuſque Venetus, qui poſthumi (cui Iacobo nomen) & totius regni curam in ſe iam ſuſceperat, eoque mortuo in Prouinciæ formam Cyprum redegerat, poſt Catharinæ (quæ anno* MDX. *deceſſit) mortem, Cyprum ad annum vſque* MDLXXI *(quo Zelymus* MDLXXI. *Turcarum imperator, qui vino & venere exhauſtus, triennio poſt viuere deſiit, totam eam inſulam ſibi ſubiecit) adminiſtrauit. Cæterum Carola regno denuo (vti diximus) proturbata Romam rediit,*

vbi

vbi Pontificis liberalitate ad annum vſque MCCCCLXXXV. *(quo fa-*
tali correpta morbo viuendi finem fecit) egeſtatem ſuam ſuſtentauit.
Scribitur morti proxima,& multo quoque ante, cum in Sabaudiam,
eius loci ducem, neceſſarium ſuum, maritumq. Ludouicum inuiſura,
Roma veniſſet, & maritum in Ripalleo receſſu, ſolitario vitæ generi
vacare comperiſſet, in Carolum Sabaudiæ ducem eo nomine primum
cognati ſui patruelis Amadei filium (adoptione iam tum cum ſedi-
bus ſuis eiecta fuit , in regnum , & ſucceſsionem aſcitum) Cypri re-
gnum atque eius reſpicientia imperium loca omnia,& quicquid ad ea
habebat iuris tranſtuliſſe. Eiuſque donationis Taurini in archiuo
ducis tabulas aureis exaratas literis reperiri Stephanus Luſignanus
(qui ex Philiberto Pignenio Sabaudiæ ducis conſiliario id ſe intelle-
xiſſe ſcribit) author eſt: hincque eſſe cur Cypri ad ſe regnum pertine-
re contendentes Sabaudiæ duces, quinquennali ab anno inde MCC-
CCLXXXV. *(quo Carola regina deceſsit anno) legatione regnum hoc*
ſibi a republica Veneta tradi reſtituique poſtularint. Quanquam irri-
ti ſemper legationis domum reuerſi, qui in eam rem miſsi fuere, aliud
nullum vnquam retulerint reſponſum, quam CÆLVM CÆLI DO-
MINO, TERRAM AVTEM DEDIT FILIIS HOMINVM. *Dicere*
quaſi vellent (inquit Paradinus) Sicut cælum deo , ita terras generi
mortalium datas. Dei itaque beneficio ſe , & iure idcirco optimo re-
gnum hoc poſsidere. Quin ipſomet Carolo duce eius nominis
tertio, rem hanc, eo ipſo tempore , quo Carolus quintus Cæſar impe-
riali Bononiæ diademate inſigniretur , (quod anno factum MDXXX)
vehementer vrgente, & cum Venetis coram Clemente ſeptimo Ponti-
fice, & imperatore antedicto grauiter expoſtulante, nihil a Venetis
aliud, quo minus lata pro Sabaudo per Pontificem Imperatoremque,
qui ius poſſeſsionis mutandum cenſebant (vt idem tradit Luſignanus)
ſententiæ parerent , in excuſationem fuit allatum, quam donationis
per ipſos regni gubernatores,& Catharinam reginam Iacobi regis vi-
duam facta intuitu regnum illud tenere ſe, & habere iure gentium,
MCCCCLXXXV. *cauſſaque & poſſeſsione ſuperiores eſſe. Deceſsit Carola hæc Romæ*
ſæculi illius anno (vti oſtendimus) octuageſimo quinto , & in diui
Petri ibidem æde ſepulta fuit. Alij defunctæ corpus Aſsiſium delatum,
& in Franciſcanorum monachorum ædem illatum ſcribunt. Sunt qui
teſtamento condito , in deſtinatum antiquitus in diui Petri templo
regibus reginiſque recipiendis ſacellum eam ſe (Innocentio octauo
Pontifice,& patribus purpuratis intuentibus) contuliſſe, atque paulo
poſt eo in loco expiraſſe ſcribant. Qui Græcia ſcripſere annales, Con-
ſtantinopolitanum imperium ad Carolam hanc deuolui quoque de-
buiſſe authores ſunt. Victo enim caſoque (inquiunt) ſæculi eius anno
quinqua-

quinquageſimo tertio Conſtantinopolitano imperatore poſtremo Conſtantino, eiuſque ſimul agnatis poſteritateque omni a Mahomete Turcarum tyranno (qui imperium illud inuaſit, flagitioque etiamnum obtinet) deleta, ſola Carola hac Helena Palæologa (cui Theodoricus Palæologus antedicti imperatoris Conſtantini frater, pater fuit) filia, ex ea ſtirpe reliqua fuit.

IACOBVS Sabaudus Rhomontij (ſeu Romontij) comes, Ludouici Sabaudiæ ducis ſecũdi filius fuit. Quem egregiis maioribus, & fraterna imagine fulgentẽ, aureo Burgundiæ dux Carolus (cui regium genus, & pace belloque clara origo) Vellere donauit. Quin auctoritate & gratia apud Carolum cum vigeret, infauſtũ illud ſibiq. fatale aduerſus Lotharingiæ ducem Renatum Heluetioſque Carolus ſuſcepit diſſidium, quod raptu pellium ouinarum modicis principiis, per arma tandem & acies exercitum finitumque fuit. Cæterum Carolo duce ad Nanceium cæſo, Maximiliano Romanorum regi ſtrenuam fortemque nauat operam, Maubonium caſtrum munitiſſimum, latrociniis fecundum (vnde arta finitimis res) ſingulari fortitudine, compulſis ad deditionem prædonibus, Maximiliani denuo imperio adiicit. Sed diu Cæſari gentique Burgundicæ fidus, & Burgundicis (vti oſtendimus) armis defenſus, deficientibus a Maximiliano Cæſare Flandris, Gandenſium factus dux, hoſtilia etiam aduerſus Maximilianum gentemque Burgundicam induit. Inde in Caroli octaui Galliarum regis (qui ſorore eius genitus erat) concedens partes egregia erga gentem Burgundicam merita rebellis fœdauit. Ducta ſalutis anno MCCCCLXXXIII Maria Lutzenburgica ſororis ſuæ Margaretæ filia, ſæculi illius anno octuageſimo ſeptimo apud Veromanduos in Hera arce ſua ſupremum obit diem.

MCCCC-LXXXVII. MCCCC-LXXXIII.

i M a-

MARIA Lutzenburgenſis (Ioannam appellant nonnulli) ſancti Pauli, Marlæ, & Briennæ comes, Petri Lutzenburgenſis S. Pauli, & Briennæ comitis Margaretæque Sabaudæ Iacobi ſororis (deducta quippe in domum auunculi ſororis filia fuit, nullo tum fortaſsis exemplo) filia natu maior, Ludouici Lutzenburgenſis Franciæ Comeſtabilis, & Ioannæ (Bonæ aliis) Barriæ, Giſtellæ dominæ neptis, Giſtellæ quoque, Dunkercka, Bourbourchi, & Grauelingæ iure hæreditario domina. Sororem habuit Franciſcam Enguienni dominam, nuptam Philippo Cliuenſi Raueſteini dynaſtæ, quæ liberis caruit. Maria hæc Iacobo priore marito defuncto, Franciſco Borbonio, comiti Vindocinenſi nupſit. Falluntur qui ipſiuſmet Comeſtabilis Mariam filiam fuiſſe ſcribunt. Narrat enim Franciſcus Belleforeſtus, vidiſſe ſe Caroli eius nominis octaui Galliarum regis reſcriptum, quo Maria hæc eiuſque ſoror Franciſca bonis reſtituuntur, iurique quod in ſucceſsionem bonorum defuncti Comeſtabilis, vxoris, & liberorum eius prætendebant. Quo (inquit) reſcripto patet, eam eiuſque ſororem Franciſcam Petri Lutzenburgenſis Briennæ comitis fuiſſe filias, & Ludouici Comeſtabilis neptes.

FRANCISCA filia vnica, nupta menſe Iunio anno MDII. Henrico comiti Naſſauio. Errant grauiter qui Franciſcum Borbonium Vindocini comitem illi virum fuiſſe aiunt. Ille enim Mariæ Lutzenburgenſi Franciſcæ huius matri ſecundus maritus fuit.

RENATVS Sabaudus, Beauforti & Villarſij comes, Franciæ poſt Arthurum Goiferium Boiſij dominum, anno MDXVIII. magnus magiſter, & Prouinciæ prorex, filius fuit nothus Philippi Sabaudiæ ducis ſeptimi. Qui in prælio ad Papium anno ſæculi huius XXIIII. commiſſo, captus, ex vulnere ibidem accepto, paulo poſt decedit.

MDXVIII.

ANNA

ANNA *Tendÿ comes, ex imperiali Laſcarorum familia originẽ trahens, cui pater Ioãnes Antonius Laſcarus Conſtantinopolitanus, vir ſupra modum eruditus, & Ludouico duodecimo Galliarum regi carus inter primos.*

CLAVDIVS *Tendÿ comes.*

HONORIVS *Villarſii comes.*

CAROLA *Brienna comes, cui vir Antonius Lutzenburgenſis eo nomine ſecundus Brienna comes, & filÿ ex eo tres, filia vna: Ioannes Brienna comes, qui vxorem duxit Guilelmam Roberti Marcani Bullionei ducis filiam, procreauitque ex ea * Ioannem Brienna comitem, cui vxor* al. *Carolũ.* *ſoror Ioannis Ludouici Nogareti Eſpernoni ducis. Franciſcus Pinaÿ dux, cui vxor Diana Lotharinga Claudÿ Aumalÿ ducis filia, & filius ex eo Henricus Pinaÿ dux. Antonius Roucÿ comes epiſcopus Laonenſis, dux & par Franciæ. Alÿ Antonium iuuenem obiiſſe, & Franciſcum eius fratrem Laonenſem fuiſſe epiſcopum, eoq. depoſito epiſcopatu Dianam duxiſſe ſcribunt. Filia fuit Magdalena Lutzenburgenſis, vxor Chriſtophori Vrſini Chapellæ dynaſtæ, equitis torquati ſancti Spiritus, cui peperit Franciſcum Vrſinum.*

ISABELLA, *cui vir Renatus Baternaÿius Bughiagei comes, & filia ex eo Margareta Bughiagei comes, nupta Guilhelmo vicecomiti Ioicuſio, Ludouici vicecomitis, & Ioannæ Borboniæ Vindocinenſis comitis filio, Franciæ mareſchallo, cui peperit Annam Ioyeuſii ducem Franciæ Admiraldum Normanniæ præfectũ, Margarethæ Lotharingæ Vaudemontiæque maritum, quæ prolibus caruit. Franciſcum Ioyenſium Bughiagei comitem, & ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalem, archiepiſcopumque Narbonenſem. Scipionem equitem Maltenſem, & Georgium ſancti Saluatoris dynaſtam.*

MAGDALENA *nupta Annæ Mommorantio Franciæ Comeſtabili. Cui peperit Franciſcum Mommorantÿ ducem, Franciæ mareſchallum, cui vxor Diana Henrici ſecundi Galliarum regis filia notha, quæ filium non diu ſuperſtitem peperit Annam. Henricum Mommorantÿ poſt fratrem ducem, & Franciæ Marſchallum, qui Antoniam Roberti Marcani Bullionei ducis filiam vxorem duxit, procreauitque ex ea filium Henricum. Mariam Mommorantiam, nuptam Ioanni Fecenſi, comiti Candallæ, cui peperit Margaretam Fecenſem Candallæ comitem, cui vir Ioannes Ludouicus Nogarethus Eſpernoni dux, Prouinciæ, & Metenſis tractus rector. Eleonoram Mommorantiam vxorem Franciſci primi de Latourÿ Touraine vicecomitis, cui peperit Henricum de Latourium. * Ioannam Mommoran-* al. *Annam.*

tiam nuptam Ludouico comiti Latrimouliano Thouarſio duci, Franciſci, & Annæ Lauallia filio, cui Claudium peperit. Catharinam Mommorantiam, cui vir Giſelbertus de Leui, Vantadouri dux: liberi ex eo, Giſelbertus de Leui Vantadourius Votei dynaſta; & Anna Vantadourius Cornilloni dominus.

CLAVDIVS Sabaudus Tendij comes, Renati Sabaudi, & Annæ Tendiæ filius primogenitus, Prouinciæ poſt
MDLXXII. patrem præfectus, moritur anno ſalutis MDLXXII. vxores habuit duas.

HORATIVS, *fortaßis Honorius Tendij comes.*

...... *Cipierrij regulus.*

RENATA, *cui vir Horſedi dynaſta.*

..... *Naurei nupta domino.*

al. *Honoratus.* HORATIVS Sabaudus Tendij, & Someriuei comes, Claudij proxime antepoſiti filius natu maximus, Prouinciæ, patre, religionis illi (vt aiunt) incuria obiecta, & quod partes regi aduerſas foueret, proturbato, præfecturam corripit. Sed illo paulo poſt patrem fato functo, Caſparum Sauxium Tauaneſi dynaſtam, & Franciæ Mareſchallum rex ſuffecit.

MDLXXII. ALFONSINA (*ſic ego eam appellatam exiſtimauerim*) *Stroßia, Fieſquei comes, Philippi Stroßij (illius qui ſalutis anno* MDLXXXII *pro Antonio Portugallo pugnans, prælio nauali a marchione Santecrucio ſuperatus captuſque, a milite quodam Hiſpano ſcribitur trucidatus) filia, Petri Stroßij Franciæ Mareſchalli neptis, Scipionis ſoror.*

..... *De la Touria, Franciſci de la Tourij Turaine vicecomitis, & Eleonoræ Mommorantiæ filia.*

... Sabau-

... Sabaudus Cipierrij regulus, Claudij Horatiique proxime antepoſitorum, illius filius, huius frater, ad forum Iulij ſalutis anno MDLXVII. a Pontificiis annos natus MDLXVII. viginti, adoleſcens trucidatur, vt author is qui de ſtatu religionis, & reipublicæ in regno Galliæ commentarios ſcripſit. Belleforeſtus, & Lancelotus Voiſinus authores ſunt, Cipierrium Caroli noni Galliarum regis iuueniles rexiſſe annos, & ex balneis Leodienſibus reducem deceſſiſſe. Sed crediderim illum, alium ab hoc fuiſſe, ſi verum ſit ætatis anno viceſimo fuiſſe trucidatum.

HONORIVS ſeu Honoratus (Horatius aliis) Sabaudus Villarſij comes (marchionem appellant alij) Renati Sabaudi, & Annæ Tendiæ filius ſecundo genitus Caſparo Colinio in Admiralatu ſuccedit, quo ſe magiſtratu in Caroli Lotharingi Mennæ ducis, generi ſui gratiam, tandem abdicat. Prælio eo quod ad Moncontourium v° nonas Octobreis anno poſt natum Dominum MDLXIX, inter Pontificios, quibus Andium dux, & reformatos quibus Admiraldus præerant, commiſſum, quo cæſi fugatique reformati, Honorij huius ſingularis apparuit virtus.

FRANCISCA *Fecenſis, Alani Fecenſis Chaſtillonij vicecomitis filia.*	HENRICA, *cui viri duo: Melchior Dupreſius qui Montpeſatus dictus, Galliæ Narbonenſis, per abſentiam Comeſtabilis Annæ Mommorantij, præfectus fuit: quam ille præfecturam in vicecomitem Ioyeuſium Albij paulo ante epiſcopum, tranſtulit. Melchiori illa peperit Emanuelem Dupreſium materno cognomine Sabaudum appellatum, Villarſii marchionem, & Henricum Dupreſium Montpeſati dominum. Alter Henricæ maritus fuit Carolus Lotharingus Mennæ dux; & liberi ex eo, Henricus, & Emanuel Lotharingij.*

PHILIPPVS Sabaudus Geneuæ comes, & Nemourſij, Franciſci Galliarum regis eo nomine primi beneficio, dux. Mortua quippe Philiberta Sabauda Philippi ſorore, cuius maritum Iulianum Medicem eo ducatu rex Franciſcus in Philibertæ gratiam donarat, Philippum hunc auunculum ſuum eodem donat. Filius fuit Philippi ducis eius nomini ſecundi ex vxore poſteriore. Sunt (inter quos Belleforeſtus, & is qui nuper Borboniorum ſtemma publicauit) qui Philippo huic nuptam fuiſſe dicant filiam Renati ducis Alençonij, eique ducatũm Nemorſium in dotem datum, originemque ab ea trahere Nemourſij nunc ducem, & Geneuæ comitem. Aut priorem hanc vxorem Philippus habuit, aut falluntur, quod magis crediderim, grauiter illi. Duas enim filias Renatus habuit, vnam Franciſcam ſeu Ludouicam appellatam, nuptam bis, Franciſco Longeuillæ duci, & Carolo deinde Borbonio duci Vindocinenſi; alteram Annam, cui vir Guilelmus Montisferrati marchio. Errori occaſionem dedit, quod Franciſca maior natu filia Ludouico Arminiaco Nemourſio ſeu Nemorenſi duci pacta fuerat, at non nupta. Nemourſius hic comitatus in Caroli Nauarræ regis (qui malus dictus) eius tum loci comitis, gratiam, a Galliarum rege Domini anno MCCCLXXXVIII, ducatus factus fuit.

CLAV-

* CLAVDIA *Aurelianenſis, Ludouici Aurelianenſis Longeuillæ ducis & Ioãnæ Hocqueberquiæ (cui Philippus Hocquebercquius Rothelini marchio pater) filia. Ex hac oriundi Nemourſii duces & Geneuæ comites.* al. *Carola.*

PHILIPPVS *patri ſuccedit.*

IOANNA *(Claudia aliis) nupta Nicolao comiti Vaudemontio, qui ex priore vxore procrearat Ludouicam Henrico tertio Galliæ nuptam regi. Ioanna hæc Nicolao, Annæ Ioyeuſii ducis vxorem Henricam (Margaretam aliis & verius) procreauit, & Philibertum Emanuelem Mercurij ducem, cui vxor Maria Lutzenburgenſis, Sebaſtiani Lutzenburgenſis Martinguei vicecomitis, & Mariæ Beaucaireæ filia.*

PHILIPPVS Sabaudus Nemourſij dux, Philippi Nemourſij ducis & comitis Geneuenſis Carolæque Aurelianenſis filius, Philippi Sabaudiæ eo nomine ſecundi ducis nepos, Annam Eſtenſem ſalutis anno MDLXVI. vxorem duxit, poſtquam pro ea iudicaſſet Pontifex aduerſus Renati vicecomitis Rohanenſis ſororem. Quæ Garnachea dicta, filium habuiſſe ſcribitur, quem, materno alioqui cognomine notum, Nemourſij Proteſtantes appellarunt principem: nuptiiſque, quæ ad diuum Maurum Foſſeſium prope Luteriam Pariſiorum celebratæ, Galliarum rex Carolus eo nomine nonus interfuit. Deceſſit hic circiter annum Domini MDLXXXVII.

al. *Iacobus.* MDLXVI. MDLXXXVII.

ANNA *Eſtenſis ſeu Ferrarienſis, Herculis Eſtenſis eius nominis ſecundi, Ferrariæ ducis, & Renatæ Franciæ filia, Franciſci Lotharingi Guiſiæ ducis (cui Henricum Guiſiæ ducem, Catharinæ Cliuenſis maritum peperit) vidua.*

CAROLVS *dux Nemourſius Geneuæ comes. Obiit liberis nullis relictis anno* MDXCVI.

HENRICVS *marchio S. Saturnini, & epiſcopus Auxitanus viuo fratre, cui in Nemourſio ducatu ſuccedit.*

MARGARETA.

FINIS.

COMITVM DVCVMQ. SABAVDIÆ

SERIES.

		Obitus.	fol.
I.	BERALDVS Mauriennæ primus dominus.	MXXVII.	1.
	CATHARINA Palatina Schirenſis.		
II.	HVMBERTVS primus.	MXLVIII.	5.
	ADELIS Seguſiani marchionis filia.		
III.	AMADEVS primus.	MLXXVII.	7.
	IOANNA Burgunda.		
IIII.	HVMBERTVS ſecundus.	MCIX.	11.
	LAVRENTIA Venicia.		
V.	AMADEVS ſecundus.	MCLIIII.	13.
	GERTRVDIS Lotharinga.		
	GVIGONIA Albonia.		
	SIBYLLA Matiſconenſis.		
VI.	HVMBERTVS tertius.	MCCI.	20.
	MATHILDES Flandra.		
	ANNA Salingea.		
	PERNELLA Burgunda.		
VII.	THOMAS comes tertius.	MCCXXXIII.	23.
	BEATRIX Geneuenſis.		
VIII.	AMADEVS tertius.	MCCXLVI.	26.
	ANNA Albonia.		
	CECILIA Prouincialis.		
IX.	BONIFACIVS comes quintus.	MCCLVI.	29.
X.	PETRVS comes ſextus.	MCCLXVIII.	31.
	ELEONORA Foucignia.		
XI.	PHILIPPVS primus.	MCCLXXXV.	37.
	ALEXIA Merania.		
XII.	AMADEVS quartus.	MCCCXXIII.	40.
	SIBYLLA Breſſana.		
	MARIA Brabanta.		
XIII.	EDVARDVS comes nonus.	MCCCXXIX.	61.
	BLANCA Burgunda.		
XIIII.	AMADEVS quintus.	MCCCXLII.	68.
	IOLANDA Palæologa.		
	CATHARINA Lutzenburgenſis.		
XV.	AMADEVS ſextus.	MCCCLXXX.	74.
	BONA Borbonia.		
XVI.	AMADEVS ſeptimus.	MCCCXCVII.	105.
	BONA BITVRICA.		

AMA-

		Obitus.	fol.
XVII.	AMADEVS octauus.	MCCCCLII.	108.
	BONA Burgunda.		
XVIII.	LVDOVICVS dux alter.	MCCCCLXVI.	156
	ANNA Luſignana.		
XIX.	AMADEVS nonus.	MCCCCLXXI.	167
	IOANNA Franca.		
XX.	PHILIBERTVS primus.	MCCCCLXXXI.	172
	BLANCAMARIA Mediolanenſis.		
XXI.	CAROLVS primus.	MCCCCLXXXVIII.	179
	BLANCAMARIA Montisferratenſis.		
XXII.	CAROLVS ſecundus.	MCCCCXCV.	181
XXIII.	PHILIPPVS ſecundus.	MCCCCXCVII.	183
	MARGARETA Borbonia.		
	CLAVDIA Broſſeſia.		
XXIIII.	PHILIBERTVS ſecundus.	MDIIII.	186
	MARGARETA Auſtriaca.		
XXV.	CAROLVS tertius.	MDLIIII.	190
	BEATRIX Portugalla.		
XXVI.	EMANVEL PHILIBERTVS.	MDLXXX.	213
	MARGARETA Franca.		
XXVII.	CAROLVS quartus.		231
	CATHARINA Hiſpana.		

MINORVM NATV IN GENTE SABAVDICA SERIES.

THOMAS Sabaudus Flandriæ comes.	MCCLI.	235
IOANNA FLANDRIÆ comes.		
BEATRIX Lauania.		
THOMAS Sabaudus princeps Pedemontanus.	MCCLXXXVI.	237
GVIDONA Burgundiæ Palatina.		
PHILIPPVS Sabaudus Moreæ princeps.		238
.....		
.....		
.....		
IACOBVS Sabaudus Moreæ princeps.		239
......		
.....		
......		

	Obitus.	fol.
PHILIPPVS Sabaudus Moreæ princeps.		140
.....		
.....		
AMADEVS Sabaudus Moreæ princeps.		240
LVDOVICVS Sabaudus Moreæ princeps.		241
BONA Sabauda.		
LVDOVICVS Sabaudus Iacobi filius.		241
LVDOVICVS Sabaudus Vaulxij regulus.		241
ADELINA Lotharinga.		
.....		
LVDOVICVS Sabaudus Vaulxij regulus ſecundus.		242
.....		
CATHARINA Mediolanenſis.		
GVILELMVS Sabaudus epiſcopus Valentianus.		243
AMADEVS Sabaudus Guilelmi ſuperioris frater.		243
BONIFACIVS Sabaudus archiepiſcopus Cantuarienſis.	MCCLX.	244
IANVS Sabaudus Geneuæ comes.		244
HELENA Lutzenburgenſis.		
LVDOVICVS Sabaudus Geneuæ comes.	MCCCCLXXXI.	246
CAROLA Luſignana.	MCCCCLXXXV.	246
IACOBVS Sabaudus Romontij comes.		249
MARIA Lutzenburgenſis.		
RENATVS Sabaudus Villarſij comes.	MDXXIIII.	250
ANNA Tendij comes.		
CLAVDIVS Sabaudus Tendij comes.	MDLXXII.	252
.....		
.....		
HORATIVS Sabaudus Tendij comes.		254
ALFONSINA Stroſſia.		
...... De la Touria.		
..... Sabaudus Cipierrij regulus.		253
HONORIVS Sabaudus Villarſij comes.		255
FRANCISCA Fecenſis.		
PHILIPPVS Sabaudus Nemourſij dux.		254
CAROLA Aurelianenſis.		
PHILIPPVS Sabaudus Nemourſij dux.		255
ANNA Eſtenſis.		

ERRATA

in hunc corrigantur modum.

Fol.	*Lin.*		
7,	14.	Matiſconenſi in Italia	Matiſconenſi in Burgundia,
27,	4.	homino moroſiſſimo	homine moroſiſſimo
31,	23.	ita temperarent	ita temperarunt.
35,	6.	Margeſum	Morgeſum
40,	25.	Cui ſitum innexum	Cui ſitu innexum
62,	14.	cum Amadeo Chalanno	cum Amadeo Challantio
70,	18.	Geneuenſem, vindictæ. Itaque	Geneuenſem. Vindictæ itaque
89,	18.	Incognitu non indigna	cognitu non indigna,
102,	23.	Receptos in ſedes ſuas	receptos in ædes ſuas,
119,	2.	cæſi ſupra trecentos	cæſi ſupra trecenti
120,	8.	Mortalum	Mortalium
124,	8.	Quam tantopere	quem tantopere
126,	3.	clamare omnes dico	clamare omnes ilico
137,	11.	Quippe pietatis vis eſt	Ea quippe pietatis vis eſt.
140,	24.	ſubſtitunt	ſubſtituunt.
156,	15.	Franconem, quod quia animum	Franconem, quia animum
163,	2.	Condere iam tum	Condere tantum
163,	25.	Inſignem	Inſignem copiis
183,	15.	in omnium virtutum exemplo	in omnium virtutum exempla
186,	9.	Ioannæ Hocquerbiæ	Ioannæ Hocqueberqueæ
196,	9.	ne celebrando quidem conuentu	ne celebrando quidem conuentui
210,	vlt.	Carolumque ducem imperij,	Carolumque ducē, imperij principem
218,	19.	Quibus cum mandata regis	quibuſcum mandata regis,
224,	26.	Lancelotum Voiſinumus.	Lancelotum Voiſinum, is qui

FINIS.

xa96(.?)

R. UNI • BIBL